JOHANNIS BAPTISTAE DE BONIS HYDROPOSIA SEU DE POTU AQUAE IN MORBIS...

Giovanni Battista De Bonis

Digitized by Google

5. 4. 446

Digitized by Google

JOHANNIS BAPTISTÆ DE BONIS
HYDROPOSIA
SEU
DE POTU AQUÆ IN MORBIS
LIBRI IV.

CAROLO BORBONIO
NEAPOLIS ET SICILIÆ REGI
DICATI.

NEAPOLI, MDCCLIV.
Apud Hæredes Roncalioli.
Expenſis Authoris
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD EXCELLENTISS. MARCHIONEM
Virum Ampliſſimum
JOHANNEM FOLIANUM
ARAGONEUM REGIS NOSTRI
A SECRETIS.

FELIX DE BONIS.

BORBONII *columen* CAROLI, *terràque marique*
Militiam, pacemque regens, rerum arbiter unus,
Si vacat immenſos inter, FOLIANE, *labores,*
O agedum faveas, & noſtris annue cœptis.
Annue tu, cujus cunctas exculta per artes
Inclyta mens rerum potuit cognoſcere cauſas,

Naturæ & latebras rapido penetrare volatu:
Nec minus Ætherei ſcandit ſuper ardua Cœli,
Perpetuumque bibit verâ de luce nitorem,
Æternoſque modos diſcit, quibus Aſtra perennes
Auctori rerum celebrant reſonantia laudes;
Cujus mellifluæ felix facundia linguæ,
Conſultus dubiis ſeu das Oracula rebus,
Seu quandoque graves demulces Carmine curas,
Nil hominem ſonat. Ipſæ omnes ipſæ ordine miro
Unum te varios Divæ comitantur in uſus.
Juſtitia ante alias, obſervantiſſimus æqui
Præmia cum ſtatuis, pœnaſque (at præmia ſemper
Magnanimo ſub Rege ſatis ſunt grandia) tecum
In terris degit Cœlo intemerata relicto.
Conſcia præteriti tibi dat noviſſe futura,
Error ne quà ſubrepat, Prudentia: Fortem,
Ne quid agas infirmum, te Conſtantia reddit;
Ut nulli valeas fractus ceſſiſſe labori,
Noctes, atque dies firmat Patientia Corpus;
Sobrietas caſtaſque manus, pectuſque pudicum
Pura tibi ſervat; Procul & procul ire ſub umbras,
Tartareas umbras Herebi, noctemque profundam,
Quæ te Relligio ſemper ſine labe tuetur,
Cogit avaritiam, quâ non crudelius ullum
Monſtrum aliud mores hominum corrumpit honeſtos;
Jura decuſque furens pedibus proculcat; iniquis
Qua Duce jam miſeræ evertuntur legibus urbes;
Innocui plorant; ſontes lætantur, & arctâ
Multa gemens virtus ſub paupertate laborat.
O cui poſſe datum tantam depellere peſtem,
Gratia cui ſolùm, cui ſtat clementia cordi,
Aſpice nos præſens, nec dedignare precantes.
Jam Patri tentata via eſt, quà ſe quoque poſſet
Tolle-

Digitized by Google

Tollere humo, Regique ſuas ſacrare Camænas:
Atque opus exegit, primus quo carmine leges
Præſcripſit Populis, varios ut Potus aquarum,
Atque graves pellat morbos mortalibus ægris.
Sed celſos penetrare Lares, ſoliumque verendum
Viſere ſola, ſatis nec compta, ignotaque forſan,
HYDROPOSIA *timet. Quoniam tibi Regia ſemper*
Aula patet, Phœbique choros inducis, & omnis
Te ſpes, & ratio ſtudiorum floret in uno;
Quin & Permeſſi linquant cum flumina Muſæ,
Te, Sebete, tuis implent melioribus undis;
Tu Ductor, tu ſterne viam, tu porrige dextram,
Regis & ante pedes, precor o, tu ſiſte timentem.
Noſcere magnanimus, Duce te, dignabitur illam
CAROLUS; *& tanto Regali elata favore,*
Invidià major, ſublimi vertice nubes
Pulſabit, cœtuſque rudes, vulguſque profanum,
Atque udam ſpernet pennà jam præpete terram.
Nec minus ille ſuo faciet Deus otia vati,
Et, Duce te, vates CAROLI *majoribus auſis*
Geſta canet, victoſque Duces, partoſque triumphos.
Principiò ut proprios conſtanti fœdere fines
Servaret, nullique favens Rex arma, viroſque
Limitibus certis placidà ditione teneret.
Mox ut progreſſus non æquo marte Truentum,
Finitimos vaſtare locos Germanus, & urbes,
Spargere per Regni rumorem cœperit, ipſum
Adventare, jugum qui frangeret ultor Iberum.
Scilicet his populos ſe poſſe movere fideles
Motibus, excità jam ſeditione, putabat.
Aſt animi ardentes magis inflammantur amore
Regis in obſequium: cuncti longo ordine Cives

Con-

Digitized by Google

Conveniunt: ſubeunt Regalia tecta Senatus,
Nobilitas, populuſque ſimul, juveneſque ſeneſque
Parthenope in magnà: in certamina Martis euntem
Auſpicibus fauſtis Regem clamore ſalutant:
Reginam, Gnatamque orant conſiſtere meſtà,
Principis abſceſſu, præſens ſolamen, in Urbe,
Nec caſu dubitant animam in quocumque paciſci:
Id ſpondent ſimul, idque omnes uno ore fremebant.
Aſt illas recipi Cajetæ in mœnibus altis,
Jamdudum ſtatuiſſe ferunt Oracula Divùm.
Tum dicet, gelidum ut CAROLUS, mora nulla, Theate:
Venerit, auxiliis Collectis undique; motus
Servans hoſtiles: nam Lobcoviczius ante
Miſerat Eretum Turmas, celeranſque parabat
Ducere pugnacem Romana per oppida Martem;
Ut Rex Hiſpanas, propriaſque ex ordine Turmas
Juſſerit interea, nullo diſcrimine, cunctas,
GAGETIDE, parere tibi, Velitraſque tenere
Verſus iter: celſo Velitræ ſtant colle: locantur
Hic Regis caſtra: aggeribus propè mœnia ſtructis,
Compoſitum latè vincas petit agmen: Iberi
Culmina præcipuè, qui mons ſuper eminet Urbi,
Alta tenent; arcis domus hic formatur ad inſtar,
Septa cucullatis ſurgunt ubi Fratribus, ima
Qui longam gaudent protendi ad pectora barbam.
Dicet præterea, Conſul Germanus ut iſta
Admirans longè noſtros ſtatione locatos,
Deficiens animis nil tunc tentaverit, utque
Duxerit oppoſiti nemoris ſuper ardua turmas
Lanuvium propter, vicinaque Rura, paratis
Jam caſtris; aditus ſed ſic non clauditur omnis,
Quò veniat minus ad noſtras annona phalanges.
In partes diviſa duas ſubducitur ergo

Lecta

Digitized by Google

Lecta manus tacitè e numero, primumque Novates
Agmen agit, verſuſque petit feſtinus Avellam:
Accipiunt hoſtes, portiſque patentibus Inter-
Amna volens, & Pinna, atque Atria: ſcripta feruntur
Auſtriadùm mandata, Foroque affixa notantur.
Dumque tamen læti Reginam uno ore canebant,
En venit Aterno, Cælo ceu fulmen ab alto,
Parva cohors, glomeratque manus, & diſſipat hoſtes:
Sola manent ſtupidis mandata affixa tabellis.
Altera tunc etiam Legio, Ductore Gorano,
Cæditur a Velitris demiſſo victa maniplo,
Nec, quo tendebat, poſthac viſura Caſinum.
Tum Velitras propter dicet certamina prima.
Alituum ut ſurgit dictus de Virgine Collis,
(Hiſpanis munimen erat) quem milite multo
Oppugnant Hunni, forteſque in bella Croatæ,
Viribus hoſque ſuis cunctis bis mille virorum
Tutatur ductor Comitans Pallavicinus.
GAGETIDES *ſed jam præceperat optimus armis*
Deſtitui ſine cæde: hoſtes ſtatione locantur,
Implenturque mero, dapibuſque epulantur opimis.
Poſtera vix Cælo ſurgens aurora rubebat,
Cum latere e triplici Regis venit agmen, & alto
Hunnos invadit ſomno, vinoque ſepultos:
Maxima fit clades: reliqui dant colla catenis:
Valliades feſtinus adeſt, pugnamque laceſſit,
Cumque ſuis jamjam cedentes ſuſtinet armis
Pallavicini turmas: ſed miles iberus
Inſtat agens, hoſteſque premit rurſus fugientes;
Et licet immani præſtò Legione Marullus
Mox fuerit, ceſſere tamen, trepidæque dederunt
Terga fugæ Auſtriaci. Victor tot caſibus actos
Inſequitur, juſſuſque iterum ſe ad Caſtra recepit.

At

Digitized by Google

At qui Lanuvium, vicinaque Rura colebant,
Ut videre fugam, perculſi corda pavore,
Præcipiteſque ruunt ad celſæ mœnia Romæ.
Roma metu belli portas quoque clauſerat: inſtant
Multa tamen lugentes illi, & multa precantes,
Et ſerò tandem taciti occultantur in urbe.
Tum canet, ut, capti poſtquam petiere Velitras,
Victores iterum decedere colle volentes
Mens fuerit Regi, tutòque in caſtra locari.
Hinc tantùm levibus pugnatum protinus armis,
Aggeribuſque ſuis cautâ ſtatione tenentur,
Cum vada jam ſubit expectata Britannica claſſis,
Auxilium Auſtriacis percuſſo fœdere vectat:
Octo tunc igitur numero ſejungit ab omni
Naves, & Cajetæ, Æſiſque impenſius oras
Præfectus legiſſe jubet, per cærula Ponti
Ut caſtris nulla oppoſitis annona veniret.
Quin & rumor iit Portu ſolviſſe Liburni
Vela rates alias armato milite, Bellum
Quæ veherent tibi, Parthenope. Mox unda Velitris
Deficit, & rapido miſerè ſitis urget in æſtu:
Hoſtis aquæ curſus etenim frænaverat omnes
Improbus, & totâ fontes dimoverat urbe.
At quem te memorem tantis in rebus egenis,
Qui tot opem afflictis, ſervator Ibere, tuliſti?
Ingenio monſtrante viam de divite venâ
Lympha fluit, multàque ſitis compeſcitur undâ:
Et tu pro meritis non indonatus abiſti.
At ſi ſufficient vires, ſi gratia Regis
Annuerit, quæ bella canet? quæ fortia facta?
Tunc majore tubâ, Heroo tunc carmine tandem
BORBONIAS referet Palmas, hoſteſque fugatos.
Dicet ut ignitas tormenta vibrantia glandes

Dirue-

Digitized by Google

Diruerint montis jam Propugnacula crebris
Ictibus, utque metu tanto diſceſſerit illinc
Germanus; ſed enim belli tunc furta, doloſque
Mente revolvebat, tacitàque in nocte parabat.
Clarus adhuc Cælo fulgebat Phosphorus alto,
Ecce Braunniades per cauta ſilentia Turmas
Ipſe ſuas ducit, caſtriſque inopinus Iberis
(Alam ſervabant qui tunc ſtatione ſiniſtram)
Ad Velitras infert ſe ſe, Vigileſque trucidat;
Et Lindes, & Olonna Duces, fortiſque Novates
Succedunt etiam, ſocioſque incendia poſcunt,
Aggeribuſque faces portant, ignemque miniſtrant,
Hiſpanoſque equites, Regiſque micantibus armis
Invadunt: ſomno excutitur, ſtratiſque relictis
Surgit; ſe bello accingit; fera prælia miſcet
Sic deprehenſa cohors. Sed jam vis ignea creſcit,
Hoſtibus & creſcit numerus: ſtatione movetur
Illa, tamen pugnans, caſtriſque inſedit amicis.
Tum canet ut Velitras tandem devenerit hoſtis,
Cæſiſque excubiis, Sirenis nomine portam
Fregerit, & totam terrore impleverit urbem.
Jamque domos Victor ferro populatur & igne,
Jamque volant glandes, & terribili reboatu
Ferrea canna tonat, cum Parthenopæa juventus
Arma manu commota capit, celereſque ſubinde
Conveniunt Regem: impavidus Rex arma capeſſit:
Aſcendit ſublimis equum, primuſque reductas
Componit turmas, hoſteſque invadere mandat
Bellator: Mutinæ paribus Dux fulget in armis.
Magnanimi veluti ſummà de rupe Leones
Venantum excuſſi, audito jam murmure, ſomno,
Si Numidas cernunt fortè inſultare cubantes
In caveis catulos, ſurgunt, mora nulla, volantque

b *Saxa*

Digitized by Google

Saxa per, & vepres, per præcipites anfractus:
Bella movent, indignanteſque feruntur in hoſtes:
Haud aliter fortes Belgæ, & Cumana juventus
Perque ignem, per tela ruunt, & pectore forti
In medias dant ſe ſe acies, atque agmina rumpunt
Auſtriaca: horribili crepitat jaculata fragore
Ignea glans late: Cœlum tonat omne tumultu,
Denſaque ſublimem defertur ad Æthera nubes
Turbinibus piceis, fumoque obducta nigranti:
Ardentes dubio pugnant jam Marte phalanges:
Hæc modo jam victrix inſtat, modo victa fugatur;
Cedit at illa loco; mox & propulſa recedit.
Sic Euruſque, Notuſque ſimul cum bella laceſſunt,
Æquora turbantur; magnus furit æſtus aquarum;
Fluctibus obſiſtunt fluctus, & litora pulſant
Nunc hi, nunc illi, alterniſque furoribus acti
Ad notos redeunt ſcopulos, fractique retrorſum
In mare volvuntur rurſum, & nova prælia miſcent.
Anceps pugna diu ſteterat, tunc enſe reflexo
Ad Pyrobaliſtam, & facta teſtudine, tandem
Inſurgunt iterum Belgæ, juguliſque mucronem
Objectant ſtrictum: trepidos timor occupat hoſtes:
Fit fuga: præcipiteſque metu per devia currunt,
Diverſoſque petunt aditus, portamque patentem.
Sarcina cuique ſua armorum eſt oneroſa, graviſque:
Cingula cum loculis pyrio de pulvere fœtis,
Atque pilæ, atque enſes, atque æra tonantia paſſim
Strata jacent, tantique perit fiducia cœpti.
Nec minus interea ſpatio vix unius horæ
Elapſo, dextrum montis ſuper ardua cornu
Agmine quadruplici aggreditur, primumque revellit
Andreaſis vallum, pergitque evertere Caſtra.
Aſt ubi Seveides cernit jam culmina montis

Exu-

Digitized by Google

Exuperaſſe hoſtes, reboat quà plumbeus imber
Grandinis horriſonæ, prærupta cacumina rupis
Occupat ipſe etiam, & pugnæ ſe ſe arduus infert:
Accurrunt Campana cohors, acieſque Coronæ,
Albanæque manus, forteſque Ducheſidis alæ,
Hinc illinc animis pariter certantibus omnes,
Nec mora nec requies, hoſtes circum undique clauſos
Oppugnant celeres, & magnâ clade trucidant.
Queis ſupereſſe datum, ſummâ de rupe volentes
Confuſi ſimul omnibus armis præcipitantur.
Nocte ſuper mediâ rabidi ſic agmine miſto
Cum coiere lupi, cautaſque, foramine facto
In ſepem oppoſitam, invadunt, armentaque paſſim
Dilaniant, ſtimulante fame, ſi fortè trementes
Balantum voces Paſtorum turba, canumque,
Horribiles audit longè experrecta latratus,
Arma furens capit, & ruptum circundat ovile:
Ingens fit clamor: jaculantur tela: ſed illi
Intra ſepta fremunt, ſæviſque ululatibus horrent:
Inſiliunt, tentantque aditus, ſparſique cruore
Maxima pars cadit: in cuneum per tela per hoſtes
Denſati fugiunt reliqui: fugientibus inſtat,
Et cædem renovat Paſtor: vix unus, & alter
Spirantes animam luco occultantur opaco.
Obſtupuit tantâ confuſus imagine rerum
Veſtigans longè tunc Lobcoviczius: ingens
Imo in corde pudor flagrat: nihil ille nec auſus,
Nec potuit: dat terga fugæ, & ſe in caſtra recepit.
Præterea dicet longo ut poſt tempore tandem
Infractis bello Auſtriacis ſub nocte ſilenti
Præſens ſors dederit campis decedere: parvas,
Quas ſupereſſe videt, Ductor legit ordine turmas,
Utque poteſt maturat iter, curſuque citato

Jam Romam verſus tendit. Veſtigia Victor
Pone ſequens calcat, ſtrictis & fulminat armis.
At quis deceſſu in longo tot funera dicet?
Quiſve tuos memoret caſus, cladem que tuorum
Fulginium? Procul, o, procul arma, minæque.
Regem cantabit Romam, pulſo hoſte, petentem
Victorem totis it Victori obvia Regi
Roma viis: olim læta ſic voce Quirites
Excepere Duces, quando ad Capitolia vinctos
Scipio ſeu traheret Tyrios, mæſtumque Syphacem,
Seu traheret Gallos Cæſar, Mariuſve Jugurtham:
Romanuſque PATER *Regi gratatur ovanti,*
Lætitiàque gemens ſanctis amplexibus hæret.
Sed quæ grata canet feſtæ ſpectacula Pompæ
Ad te cum reducis, Siren, celebrare juvabit
Principis ingreſſus? portis effuſa ruebat
Miſta virum, matrumque manus, diſcrimine nullo,
Una Ætas omnis, Proceres, Regnique Senatus
Sanctior, & Populus plauſu, fremituque ſecundò
Undique tollebant lætas ad ſidera voces.
Audiit, & viridi clarum caput extulit antro,
Deliciiſque tumens ſolitò majoribus undas
Vorticibus plenà fundit Sebetus ad urnà.
Audiit, & rutilas prorumpit ad Æthera flammas
Veſuvius, atque ſuos nullo terrore fragores,
Dum tormenta tonant feſtivis ærea bombis,
Conſociat: latè colles, monteſque reſultant.
Rex venit, en, Regina venit, venit altera Proles
Cum primà (partu dederat VALBURGA *puellam*
Cajetæ) duplici geminantur gaudia Prole.
Omnes denſantur: labor eſt inhibere ruentes
Dum ſtudiò viſendi iterumque, iterumque propinquant,
Et cunctos arctant aditus: teſtatur amorem

Et

Digitized by Google

Et voce, & plauſu, & lacrymis, & corde fideli
Quiſque ſuum: Populi Regalia pectora tangit
Tanta fides, & tantus amor, vultuque benigno
Utraque Majeſtas grati dant ſigna favoris
Vi via fit tandem, ingreſſuſque pateſcit in urbem.
Aſt urbs interior luxu decorata ſuperbo
Effulget: Tectis pendet circumque, ſupraque
Purpura, & argento, aurique intertexta metallo:
Eois latè collucent Pulpita gemmis,
Atque, ubi ſe ſpatio diſtendunt compita largo,
Pegmata tolluntur Cœlo, viviſque figuris
BORBONIDUM *effigies, pugnataque in ordine bella,*
Dejectæque acies fulvo cælantur in auro,
Everſæque urbes, ſeries longiſſima rerum.
CAROLUS *interea (ſecum unà it Regia conjux*
Cum natis) Delubra petit majora, Deumque
Ductorem armorum omnipotentem pronus adorat.
Moxque tuum vitreà ſacrum veneratur in urnà,
O præſens Regni tutamen, Dive, cruorem.
(O viſu res mira! cruor, cruor ille liqueſcit
Jam durus; totieſque cruor, cruor ille liqueſcit,
Incluſum quoties caput inſpectatur in auro)
Et tunc Divino perculſus corda pavore
Continuò, ſalve, o patrium, & venerabile Numen,
Numen, ait, ſalve Gentis fiducia noſtra,
Duxque idem ſummus, JANUARI; *en debita ſolvo*
Vota tibi, exornoque novis altaria Palmis:
A te principium Regni: tu ſceptra tueris:
Numine tuque tuo ſerves nos, noſtraque ſemper.
Hæc ubi dicta dedit repetunt Regalia Tecta
Applauſus inter lætos, fremituſque faventum.
Hæc canet, & ſi fata dabunt majora videre,
Et trans Euphratem, & ſeptem trans oſtia Nili

Se

Digitized by Google

Se turmis etiam comitem victricibus addet
BORBONIDUM, ſonitumque ingentem imitata tubarum
Sacra triumphali ſociabit carmina plauſu:
Odryſium dicet devinctum compede Regem,
Diſperſaſque Arabum turbas, everſaque Regna,
Et ferrugineo circum pallore ſuperbam
Suffuſam dicet Lunam jam deficientem.
Cernere erit populos omni regione fideles,
Servitio ereptam Solymam, montemque petentes
Sanguine Divino ſparſum, auguſtoque ſepulcro
Supplicibus donis ſollemnia reddere vota.
O FOLIANE ergo faveas, vultuque benigno
Magnanimo vatem commenda, & carmina Regi.

DE

Digitized by Google

DE HYDROPOSIA

SEU DE POTU AQUÆ IN MORBIS

LIBER PRIMUS.

Quid gelidæ potus, Medicos quid poſſit in uſus
Potus aquæ calidus; varios quos vincere morbos;
Quæ cura, & victûs ratio; quid triſte cavendum,
Si pota officiat, pateatque eventibus æger,
Nunc canere incipiam. Natura dives eàdem
Par Patri, Genitoque Deus, qui jungis utrumque
Amborum communis Amor, qui cuncta gubernas,
Spiritus alme favens adſis; qui tempore primo
Cum Sator omnipotens Terramque, Polumque crearet,
(Indigeſta tamen Moles, & Terra, Poluſque)
Divina ſublimis aquas tunc mente fovebas,
Innumeris illas ditans virtutibus; adſis,

Adſis, & vati liceat libaſſe liquores
Æthereos, diàque madeſcant pectora lymphâ;
Quippe facultatem valeam recludere aquarum,
Et morbos pepuliſſe graves mortalibus ægris,
Ebrius hoc latice. Oh liceat pede nullius ante
Trita, mihi penetrare loca, arcanoſque receſſus!
Eja age lenis ades, noſtræque illabere menti.
Tuque adeo fulgens Regum Decus, edite Regnis
Carole Borbonidum Proles invicta, ſuperbis
Seu Te Parthenope teneat, tua Regia, tectis
Jura tuis dantem populis, & Sceptra gerentem;
Seu feſſum curis recreent te (*a*) Pontia Tempe,
Dedaleà fabricata manu, quæ florida circum
Quondam Marmaricis exculta ſororibus arva
Heſperidum vincunt; ſeu captus imagine belli
(Victor enim ſemper, ſpoliiſque inſignis opimis
Auguſtos domitò duxiſti ex hoſte triumphos)
Venatum ire pares, vicini vertice (*b*) Montis
Surgit ubi miram confeſtim enata per artem
Arboribus lætis, & præclaro ordine ſilva,
Qua volucrum genus omne, & qua genus omne ferarum
Limitibus clauſis perſultant pabula læta.
Quidquid agas, Dexter, Rex alme, ubicumque moreris,
Aſpice me, medicum nec dedignare laborem.
Parva quidem, ſed parva placent quoque munera Magnis.
Nec minus hoc ævi divino pectore ſacra
Qui munita tenes Sapientum Templa; profanos
Deſpicis unde alios (*c*), felix Franciſce, vagantes
Abdita per rerum, variiſque erroribus actos,

Diffi-

(a) *Pontia Tempe*. Portici. *Villa amæniſſima quarto a Neapoli lapide, Caroli Borbonii Regis Neapolitani admirabili ædificiorum mole inſignita.*
(b) Capo di Monte. *Locus prope Neapolim, olim valdè fertilis, nunc lucus Regiæ Venationis Deliciarum plenus.*
(c) *Franciſcus Boncorius Caroli Regis utriuſque Siciliæ, Regnique Archiater, Præceptor noſter de nobis optime meritus.*

Difficilem tu pande viam: tu dirige greſſus,
Mortaleſque ægros mecum miſeratus, aquarum
Qua latitant Sacri, primàque ab origine fontes,
Duc Vatem, Tu præſens ſidus, & alter Apollo.
Principio, Gelida ægrotis ut rite paretur,
Et calidam juſtà valeas præſcribere lege,
Præſtat aquæ varios generatim diſcere mores,
Et Nivis, atque Ignis naturam diſcere præſtat.
Mobile corpus aquæ eſt, fluitanſque, & ſcinditur ultro:
Olli ſejunctæ partes, minimæque Cylindri
In ſpeciem oblongi, molles læveſque repente
Diffugiunt tactu teretes, ceu lubricus anguis:
Nil ſapit, & proprio quantumvis pura liquore,
Spiritus inde Salis, terræque, oleique per ignem
Pars tamen extrahitur, latici quæ mixta fluenti,
Corpore cum conſtet minimo, vix tangere guſtus
Exiles potis eſt vario tentamine fibras.
Illi nullus odor per ſe, nulloque colore
Tingitur, inque nivem quandoque, geluque rigeſcit.
Quà verò liquidi fontes, & amæna fluenta,
Quà vitreique lacus veniant ab origine, certant
Qui penitas rerum cauſas ſcrutantur: ab ipſo
Pars ait Oceano latices deducere aquarum
Immortale genus: latè nam maximus omnem
Ambit humum Oceanus, raro quæ corpore cum ſit
Interius, facileſque aditus ſinuoſa recludit,
Innumeraſque vias. Venis ut ſanguis oberrat
Irriguus, reſilitque micans ut corpore toto;
Curſu ſic terræ peragrat circumfluus humor
Viſcera perpetuò, bibulas qui ſalſus arenas
Intrat agens, vitiumque ſuis percolat ab undis
Dum per telluris latebras, curvoſque meatus
Inſinuat ſe ſe. Dulces hinc æquore ſalſo
Erumpunt latices, & ubi majore dehiſcit
Rupta ſpecu tellus, fundit ſe largior unda,
Ingenteſque ſcatent, vaſtàque voragine fontes.

Digitized by Google

Nil igitur mirum, ſi creſcere neſciat æquor,
Nec proprios ſuperet fines, ripiſque redundet,
Undique collectus quo fit decurſus aquarum,
Fluminaque, & fontes, & ruptis nubibus imbres
Antiquas repetant ſedes, notoſque receſſus.
Pars etiam immenſis terram putat undique plenam
Speluncis ſubter, vaſtas aperire cavernas
Fluctibus æquoreis; præſertim vertice montes
Sicubi ſe Cœlo tollant. Nam murmure rauco
Præcipites altis deſcendunt montibus amnes.
Illic ingenito telluris mota calore
Unda volat tenuis ſurſum (ſal pondere tardus
Subſiſtit fundo) circum vacua omnia complet;
Atque ubi concluſum ſenſit ſub fornice frigus,
Cogitur in fluidas, denſato corpore, guttas;
Irriguiſque frequens per aperta canalia rivis
Agmine multiplici decurrit roſcidus humor.
In ſublime vapor ſic vaſe ſolutus aheno,
Cui gramen florens, viridiſque immittitur herba;
Subjecta effertur flamma, liquiduſque viciſſim
Tegmine ſub curvo rorem denſatur in udum
Aere frigenti, patuliſque canalibus actus
Stillat, & appoſiti mox concava vaſis adimplet.
Pars docet e Cœlo latices deſcendere aquarum.
Nam vapor exurgit tenuis noctuque, diuque
Fluminibus cunctis, ſtagniſque, atque æquore toto.
Hinc coeunt nebulæ, & denſa caligine nubes
Aera per liquidum, vario quas flamine venti
Hàc illac ſecum rapiunt. Ubi frigidus æther,
Aut ſummo ad Cœlum tollunt ſe vertice montes,
Concreſcunt, canaſque nives, vitreaſque pruinas,
Et certo pluvias tandem jam tempore mittunt.
Nonne vides rutilos cum Sol per ſigna rubentis
Cancri flectit equos, Tauruſque, & Caucaſus horrens
Cautibus, ut radiis circum propioribus ardent?
Concretæ quondam, ut glacieſque niveſque liqueſcunt?

Digitized by Google

Nec minus inſurgens tunc debacchatur ab Arcto,
Et Cœlum boreas nigranti contegit umbra,
Imbribus effuſis, ingens de montibus altis,
Horriſonoque fragore furens ruit agmen aquarum.
Flammiferos ergo Solis tunc temperat æſtus;
Æthyopumque cadens ſitientia fertilis humor
Arva rigat: rivis per ſaxa ſonantia mille
Mox ſibi ſternit iter; variàque voragine terræ,
Qua data porta, fluit, latè loca concava complet,
Perque ſpecus altos, & cæca foramina currit.
Hinc tibi, Nile, augmen claràque ab origine ſurgis
Riparum impatiens; Pharios hinc concitus agros;
Et loca perpetuo Solis damnata calori
Fœcundà lybici irroras uligine limi.
Hinc (*a*) Niger erumpit: tumidis hinc fluctibus (*b*) Indus:
Et latè (*c*) Ganges campis ſpatioſus inundat.
Quin etiam occultum qua ſe deflectit ad Axem,
Torrida zona Capri cum cornua Phæbus adurit,
Oppoſitis rapidi ſpirant e partibus Auſtri,
Nigranteſque ruunt effuſis nubibus imbres,
Et latè Æthyopum contraria Regna viciſſim,
Et tua (*d*) Taprobane ditiſſima rura madeſcunt,
Quæque patens campis, (*e*) Braſilia terra, ſuperbis:
(*f*) Flaminis & Sancti (*g*) Zaireja flumina creſcunt,
Quodque mari occiduo per vaſta illabitur ora,

Et

(a) *Niger.* Negro. *Africæ Flumen, quod ex ortu ad occaſum verſus dilabens, in Atlanticum ſe effundit.*
(b) *Indus & Flumen notum.*
(c) *Ganges & Flumen notum.*
(d) *Taprobane.* Taprobana. *Inſula in mari Indico ſatis ampla inter ortum, occaſumque Solis. Patet in longitudine ſtadiorum* 7000., *in latitudine* 5000.
(e) *Braſilia Terra.* Il Braſile. *Americæ Meridiolanis Provincia etiam ſatis ampla.*
(f) Fiume dello Spirito-Santo. *Flumen Monomotapæ.*
(g) *Zaire.* Fiume del Congo.

Digitized by Google

Et quod (a) Amazonidum flumen de nomine dicunt.
Sic variis Cœlum, vario quoque tempore, terris
Sufficit e terræ gremio, qui tollitur humor.
Ergo ſemper aquis eadem cæleſtis origo eſt,
Et pluvii ſemper latices tot flumina, totque
Irriguos generant fontes, tot ſtagna, lacuſque.
At quæ miſſa Polo liquidos ſe ſolvit in imbres,
An melior terræ ſurgit quæ matris hiatu,
Servaturve cavis puteis, vel fontibus, an quæ
Præcipiti collecta ruit per ſaxa fluento,
Quamve Palus limoſa tenet, vel ſtagna jacentem,
Expediam. Ante alios pluvius qui decidit humor,
Cum tonat æſtivo præſertim tempore, vulgò
Laudatur: tenuis quondam ſub imagine fumi
Aere nam levior potuit ſe tollere Cœlo,
Terrenæ nil fæcis habens; ſed tecta domorum
Sordida ne purum excipiant e nubibus imbrem,
Qui ſub humum lapide, aut ſecto de marmore vaſtis
Per plumbum ſtagnis ſe ſe, teſtamve receptet
Limpidus, atque cavo ſternatur glarea fundo.
Hi ſubito frigent latices, ſubitòque caleſcunt,
Corpore nam conſtant puro: Sic objice nullo
Confeſtim ſe ſe inſinuat penetralior ignis,
Confeſtimque fugit; quid enim remoretur euntem?
Nec tamen eſt purus ſemper, qui decidit imber;
Impuris quandoque locis nam ſublevat ignis
Materiem pluviæ, & vario quoque tempore. Turget
Corporibus mixtis tepidum ver; quæque ligarat
Bruma gelu in terris halant reſoluta tepore:
Aera pervolitant liquidum, pluviæque ſubinde

Immi-

La Plata Fiume. *Aliter Fluvius argenteus. Fluit in America meridionali, & dilabitur in Oceanum.*

(a) Fiume delle Amazoni. *Fluit ſub æquatore verſus Orientem, & dilabitur in Atlanticum.*

Immiſcent ſe ſe. Flagrat dum ſiccior æſtas,
Confeſtim pluvii latices, & ſponte putreſcunt,
Nam tenues laticum partes dum diſſipat, ignis
Impuris terræ e gremio contaminat imbrem.
Iſtæ acidis purgantur aquæ, lenique calore.
Sic intra Tropicos, ſub & Æquatore nocentes
Abſtergunt lymphas nautæ, vermeſque trucidant.
Diverſis diverſa Plagis & corpora venti
Adducunt ſecum, pluviam quæ ſordida fœdant.
Hæc contemplator: puram tu delige lympham
Qua fieri poterit, ſemper puramque propina.
Poſt hos irrigui Fontes quoque jure probantur,
Sed diverſa tamen pro conditione locorum
Eſt aqua; nam variis argenti, aurique redundat
Interior tellus venis, & (a) ſulfura gignit, (leſque
(b) Milton, (c) Chalcanthonq; (d) Ochramq; (e) Nitrumq; (f) Sa-
(g) Cadmiamque nutrit, (h) Cypriumque æs, nutrit (i) Alumen
Et

(a) *Sulfur.* Solfo. *Eſt ſuccus mineralis, qui dicitur Pinguedo terræ vitriolacea aciditate impregnata, h. e. Conſtans Copia puri ſulfuris ingenti, modica ſalis acidi quantitate, & tantillo Spiritus aquæ, & terræ.* Schrod. lib. 3. c. 28.

(b) *Miltos*, μιλτος. Minio. *Inter terras refertur. Meminit* Hipp. l. de ulc. 14.5.

(c) *Chalcanthos.* χαλκανθος. Vetriolo. *Eſt ſal minerale metallis proximum. Ratione coloris tres ſpecies recenſetur. Cæruleum, quale Hungaricum: Viride, quale Goslarienſe, & Svecium album in forma parvulorum panum effictum.* Schrod. lib. 2. c. 26.

(d) *Ochra.* ὤχρα. *Terra ſpecies eſt colore lutea, a quo nomen habet. Duplex habetur; Factitia, de qua hic non eſt locus; Nativa altera, ſive foſſilis, olim ex Attica, hodie ex Dacia, & Hungaria.* Vide apud Dioſc. l. 5. c. 108. Rul. in lex. Schrod. l. 3. c. 2. n. 6.

(e) *Nitrum.* Nitro. *Eſt ſalis ſpecies, ſive ſal ſulſureum ſalſo amarum ex terra pingui excoctum.* Schrod. lib. 3. c. 23.

(f) *Sal.* Sale. *Secundùm vulgarem acceptionem, eſt corpus quodam minerale in aqua ſolubile, ac denuo in ſalinam, criſtallinamque formam coagulabile. Tum naturale, tum factitium eſt plurium ſpecierum.* Schrod. der. lib. 3. c. 2.

(g) *Cadmia.* καδμια. *Aliis Climia, chlimia duplex dicitur. Factitia, de qua nihil hic; & nativa, quæ iterum eſt gemina; Metallica, quæ Cobaltum: & metalli expers, quæ lapis calaminans eſt. Metallica eſt recrementum metallicum, vel minerale terreum, colore ferè nigrum, argenti, vel æris particeps: muſcarum venenum.* Schrod. lib. 3. Pharm. c. 19.

(h) *Æs Cyprium.* Rame. *Dicitur Cyprium, quod Cyprus Inſula hoc præcipuè metallo abundat. Eſt metallum ignobilius, durius plumbo, mollius ferro, conſtans particulis ſulfureis, mercurialibus, & ſalinis.* Vide Schrod. *de Cupro.*

(i) *Alumen*, Allume. *Eſt ſalſugo terræ natura Saturnina, Conſtans ex acido*

Digitized by Google

Et Glebam(a) Armeniam,(b) Ferrumque, & fuſile(c) Plumbum,
Et (d) Magneta fovet, dictumque ex igne (e) Pyriten,
(f) Argentumque fluens ſemper, vivumque metallum.
Ex his quin etiam communi matre creantur
Corpora multiplici ſpecie promiſcua rerum.
Ergo & Aquæ partes per cæca foramina terræ
Ut ſe ſe inſinuant, alienos ducere mores,
Ingeniumque valent. Vario diſcrimine dic quot
Pro variâ tellure vides erumpere fontes?
Quotque coloratæ manant de fontibus undæ?
(g) Albula lacteolas: virides de culmine lymphas
(h) Neuſola Carpatho fundit, ſed Saxonas inter
Luteus e ſcatebris (i) Ramèli poſilit humor;
Æthiopum ruber latas (k) fons proluit oras.

Heu

---

acido ſpiritu, & ſale terreſtri. Schrod. lib. 3. cap. 24.

(a) *Gleba Armenia*. Bolarmeno. *Terræ q[illegible]dam genus. Ab Armenia, & finitimis locis affertur*. Schrod. lib. 3. c. 2.

(b) *Ferrum*. Ferro. *Dicitur metallum ignobilius, conſtans ex mercurio, & ſulfure minus liquabili, crudiori ſive maris, ex ſale, quæ partibus terræ crudioribus immixta ſunt*. Schrod. lib. 3. cap. 11.

(c) *Plumbum*. Piombo. *Eſt metallum totum mercuriale, quatenus plurimum mercurii crudi, non fixi, & valdè volatilis, modicum ſulfuris coagulantis, & omnium minimum terræ ſalinæ habet*. Schrod. c. 3.

(d) *Magnes*. Calamita. *Lapis naſcens eàdem fodinà cum ferro, & trahit, & trahitur quandoque a ferro*. Schrod. lib. 3. c. 28.

(e) *Pyrites*, [illegible]. *Lapis igniatius. Dicitur etiam lapis luminis*. Schrod. lib. 3. c. 8. n. 18.

(f) *Argentum fluens*. Argento vivo. *Mercurio. De quo quot narrantur mira! Conſule auctores Ego nil auſim dicere.*

(g) *Albula*. Bagni di Tivoli *fundit aquas albas*. Bacc. lib. 1. [illegible]. 14.

(h) Neuſola. *In Dacia Thraciæ, h. e. in Tranſilvania ad montem Carpathum fiunt aquæ vireſcentes*. Idem lib. 6. c. 16.

(i) Ramelus. *Ex hoc monte aquæ fluunt lutei coloris*. Idem lib. 6. c. 7.

(k) *Fons ruber in Æthiopia, Cujus latices ſi bibantur, mentem lædunt*. Idem lib. 1. cap. 14. & Ovidius Metamorph. lib. 15. Fab. 4. *Cujus hæc ſunt carmina.*

Quodque magis mirum, ſunt qui non corpora tantùm,
Verùm animos etiam valeant mutare liquores.
Cui non audita eſt obſcænæ Salmacis undæ?
Æthiopeſque lacus? Quos ſi quis faucibus hauſit,
Aut furit, aut mirum patitur gravitate ſoporem.

Heu fuge crudeles latices! infeſtius illis
Nil bibitur, mentem lædunt, et pectora poti.
Arva (*a*) Paleſtinæ Joppes fœcunda cruentat;
Sanguineis elatus aquis notiſſimus amnis
Et gravis afflat odor varias in fontibus undas.
Hinc tot monſtrari Ditis ſpiracula dicunt,
Peſtiferas quotquot fauces aperire Mephites
Noſcimus, infeſtuſque avibus graveolentis Averni (*b*)
Hinc vapor eſt. Proprio ſurgens ſub pondere rurſum
Hinc petit ima gravis, ruptàque voragine vallis
(*c*) Amſancti unda ſuum repetit teterrima fontem.
Sed non ulla magis putrium narratur aquarum
Terra ferax, quam quæ nimium vicina (*d*) Veſevo eſt.
Non (*e*) Retina, tibi deſunt, non (*f*) Pontia Tempe,
Tempe Borbonio nunc jam celeberrima luxu.
Nec deſunt (*g*) Sinveſſa tibi, tepidumque (*h*) Dicarchum.
(*i*) Parthenopea ſuas, (*k*) Ægleque, & ( )Olympia monſtrant.
Quidve Canum memorem vulgo de nomine dictum
(*m*) Antrum horrendum, atrox cunctis animantibus, imo

(a) *Urbs Paleſtinæ nomine Joppe* (Jaffa) *habet fontem ſanguineum*. Bacc. l.1.c.14.
(b) *Avernus. Eſt lacus in Campania, qui pro lacu inferno, & pro ipſis Inferis a Poetis uſurpatur: Gravem expirat mephitim.*
(c) *Vallis Amſancti* (Val di Fricenti) *apud Hirpinos ſcatet aquis ſulfureis, odore adeo peſtilenti, ut eò propiùs accedentes exanimentur.*
(d) *Veſevus*. Veſuvio. *Mons Campaniæ.*
(e) *Retina*. Reſina. *Quinto a Neapoli lapide ad Veſuvii radices.*
(f) *Tempe Pontia*. Portici. *Villa amœniſſima quarto a Neapoli lapide, nunc celeberrima, quippe quæ Caroli Borbonii Regis utriuſque Siciliæ, admirabili Ædificiorum mole inſignitur.*
(g) *Sinveſſa*. Rocca di Mondragone. *Ita de illa Strabo* lib. 1. *Sinveſſa in Veſtino ſita eſt ſinu, a quo nomen vendicat. Ei proximæ calidæ Balneæ ad ægritudines quaſdam accommodatiſſimæ.*
(h) *Dicharcum*. Pozzuoli. *Saluberrimi Cœli locus, mineralibuſque aquis ſcatens.*
(i) *Partenopea*. Piaggia di Napoli.
(k) *Ægle*. Pizzofalcone. *Regio in altiori Neapolis faſtigio mari imminens.*
(l) *Olympia*. Chiaja. *Amœniſſimum Neapolis ſuburbium in ora maritima inter Lucullanum, & Pauſylipum.*
[m) Grotta del Cane. *Cavernula prope Lacum Anianum* (Lago d'Agnano) *quæ exitialem adeo exhalat mephitim, ut quodvis animal in ea parumper detineatur, occumbit, niſi ſtatim in vicinas Aniani aquas immergatur.*

Læthiferam ſubito peſtem quod fundit hiatu?
Unus odoratis vitium emendare mephitis
Fertur aquis, toto qui (a) Fons celebratur in orbe,
Euphratemque, Tigrimque fluit fragrantior inter.
Nec minus & ſapor innumeris diverſus inhæret,
Innumerique calent (poterit quis dicere?) fontes.
Quos qui ſcire velit, piſces velit Æquoris idem
Diſcere quàm multi liquidis jactantur in undis;
Quot Pelagus ſcopulos, quot habet vel litus arenas.
His jam multa ſuper. Simplex, & purior unda
Me vocat, opportuna ægris quæ ſola bibendo eſt.
Ergo fontis aqua illimis per ſcabra locorum,
Perque ſalebroſas ubi lubrica tranſit arenas,
Ceu per cola means vitium deponit, & ipſo
Splendidior vitro nitidis argentea lymphis
Diſſilit, inque magis clareſcit limpida fonte.
Fontibus e propriis ſimili ratione ſalubres
Flumina aquas fundunt: varios tamen inſpice motus
Dum digreſſa fluens ſinuoſos occupat alveos
Unda; tacens etenim, & curſu quæ vadit inerti,
Quamvis nil fœdum effuſo torrente volutat,
Pura minus, cœnoque gravis perſæpe putreſcit.
At per ſaxa ſonans, rapido quæ concita fluctu
Æſtuat impatiens minimis in patribus ingens
Undique diſcidium patitur, mora nulla, ſolutis
Nexibus æthereo penetratur corpore cæco,
Fit levior, celerique fugâ expurgatur eundo,
Idque magis præſtat venti vis incita, præſtat
Sol radiis; ventoque igitur, Solique pateſcat.
Quæ puteis ſervantur aquæ, ni pumice multo,
Et levibus tophis vitium emendetur, inertes,
Impuræque nocent: Tellurem ſubter, & arctis
Inclu-

(a) *Fons Caburæ in Meſopotamia, de quo* Plinius lib.31. c.31. *inquit: Unus in toto orbe traditur fons aquæ jucundè olentis in Meſopotamia Caburæ fabulæ rationem afferunt, quod in eo uno perfuſa ſit.*

Incluſæ ſpatiis motu privantur amico,
Immundaſque luto nequeunt deponere ſordes.
Officit ipſa etiam glacie, nivibuſque ſolutis
Quæ fit aqua: hæc concreta ſemel, minimaſque, leveſque,
Et dulces arcet ſtricta compagine partes;
Quodque grave eſt, craſſumque manet; nec protinus illa
Amiſſam reparat ſpeciem, purumque nitorem.
At nivis ante alias quandoque leviſſima fertur,
Quæ cadit e Cœlo ſummis in montibus, auræ
Dum ſpirant nullæ, nullo vitiata vapore (*a*).
Peſſima quæ ſtagnis gravior, lacubuſque putreſcit
Unda nocens ſemper, ſemper parituraque morbos.
Si natura negat, vitium purgatur aquarum
Arte tamen: bibulis clareſcit Tibridis unda
Fictilibus tandem vaſis, modò tempore longo
Subter humum cellis lateat ſervata profundis.
Fracta ſed Æthyopes per amygdala dulcia tergunt
Quas vehit immundas lutulenta uligine Nilus.
Eſt qui poſſe putat fœdas clareſcere ab igne,
Atque modis variis operoſus decoquit undas.
Fallitur ille tamen; rapido nam fertur in auras
Igne vapor tenuis ſemper; graviora reſidunt,
Et magis, atque magis ſordes firmantur aquarum.
At quæ flumineas detergat machina lymphas
Cum ruit elato cœnoſus vertice torrens,
Quàve tibi formanda canam, nunc accipe, lege.
Firma ſatis fiet, nulliſque impervia rimis
Cymba, ſed in longum variis diſtincta paretur
Caſtellis, duplici quæ ſint Caſtella viciſſim
E genere. Huic ſupremæ aptetur fiſtula parte,
Qua puppim verſus labens fluat unda; ſed illud
E fundo ad puppim, longoque foramine lymphas
Spargat, & alternis ſimilis ſervabitur ordo.

(a) *Vide Hermannum Boerhaave* Elem. Chem. de artis Theoria pag. 301.

Digitized by Google

Cuncta prius minimis repleas Caſtella lapillis,
Congeſtus mundæ cumulus nec deſit arenæ.
Quod Puppis, quod Prora tenet tamen excipe. Proræ,
Ferrea quam multis jungatur lamina rimis,
Queis ſibi ſternet iter vicino e flumine lympha,
Atque ſuperficiem ſit paulò fluminis infra:
His actis, quæcumque gravis purgabitur unda (a)
Nunc nivis ingenium, parteſque ex ordine dicam.
Frigore cum pluvius concreſcit nubibus humor,
Cana rigeſcentes abeunt in vellera guttæ;
Nam totidem fermè diſtenta in fila trahuntur,
Naturamque nivis formant. Quid frigus, & unde-
-Nam latices illi valeant conſiſtere aquarum?
Eſt aliquid verè frigus: nam viſcera terræ
Altius ingreditur penetrans: duriſſima quæque
Corpora confringit, rapidoque opponitur igni;
Illius & fermè diſperdit ſæpe calorem.
Et (b) quoties Coelo labentes congelat undas
Ignibus admotis! longè nonne acrius urget
Quæ ſemota Polo loca, quam quæ proxima perſtant?
Quantùm Roma Polo, (c) Sinarum Regia tantùm
Urbs diſtat: liquidà ſemper tamen effluit ingens
Tibris aquá; ſed ubi ſurgentis lumina ſolis
Aſpicit arcitenens, Sinarum Urbs Regia vaſti
Unà luce videt concreſcere fluminis undas;
Nec, niſi Luna quater plenum compleverit orbem,

Saxea

(a) *Vide Lucam Ant. Portium in Libello de militum in caſtris ſanitate tuenda. tit. de aquarum vitiis emendandis.*
(b) *In Pruſſia obſervatur aqua inter decidendum etiam igne admoto congelari.*
(c) *In Civitate Regia Sinarum* (China) *ad XLI. gradum latitudinis ſita, qualis eſt Roma, ingens fluvius circa menſem Novembrem intra unum perè diem concreſcit in glaciem, quæ non ſolvitur, niſi poſt quatuor exactos menſes, & ita firma eſt, ut par ſit ferendis curribus. Id accidit etiam in Moſcovia Boreali, quamvis ferè eadem ſit illius latitudo, atque Scothia. Idem etiam obſervatur in Ukrania, ubi frigus acerrimum eſt, cum tamen eadem fermè ſit Poli altitudo, quæ in Normandia.*

Digitized by Google

Saxea quæ primùm, mox unda ſoluta liqueſcit.
Sed cur ventorum vis hic glacialis, & illic
Vel mites halant, æſtæve caloribus auræ?
Non nihil eſt igitur frigus; ſed juncta nitroſis
Particulis illud ſalium puto corpora poſſe
Gignere: nam ſalibus, nitroque & alumine mixta
Nix, & chalcantho in glaciem convertere lymphas,
Dum ſol urit agros, mediàque æſtate videmus.
Hinc frigeſcentes laxis ſua robora fibris
Reſtituunt, vireſque parant, motuſque miniſtrant
Quæ potantur aquæ: rigidis e partibus illæ
Dum ſe ſe inſinuant, ſaliens vis frigore creſcit,
Tenduntur que magis Fibræ, oſcillantque frequentes.
Humores igitur denſi tenuantur, & ipſæ
Hinc rapido liquidæ jaculantur ab impete partes,
Purganturque ſuis confeſtim ſordibus, atque
Confeſtim fœdi properant exire liquores.
Hinc dum bruma riget, creſcit tunc ardor edendi,
Uberiorque juvat, faciliſque aſſumitur eſca.
Si verò calidam præſtet potare, quid ignis
In larices poſſit, paucis, adverte, docebo.
Ignea materies minimis ſtat partibus: iſtæ
Cuſpidibus conſtant rigidis, quæ corpora quæque
Pervadunt, lacerantque ſimul, celereſque feruntur
Impete præcipiti: Molles dum concutit aer
Ignis particulas, nexùs deducit aquarum,
Attenuatque furens: creſcit ſic protinus unda,
Æſtuat, & tumidis exultat ſpumea bullis:
Intus enim latitans reſilit violentior aer,
Occultumque aditum reſerat; tunc altera paſſim
Aeris aura ſubit, ſpatiumque invadit inane.
Dum fervent ergo latices tenuantur ab igne,
Aerioque tument æquo plus corpore, motu
Interturbantur valido, gliſcuntque calore.
Non tamen idcirco fluxus augentur aquarum.
Vel caleat nimium, nimium vel frigeat, æque
Semper aqua ad quemvis remanet fluidiſſima motum.

Iſti-

Digitized by Google

Ictibus æquatis in utràque id pendula monſtrant.
At calidi tenſos nimiùm mollire canales
Interdum poterunt latices, propriumque tenorem
Reddere (vitalis juſtà quo lege perennat
Motus) & ingenio varias diſſolvere partes,
In primiſque ſales rigidos, mucoſque tenaces.
Ergo ſeu gelidæ hauſtus aquæ, calidæve ſalutem
Non minus aſſervat, potis eſt quàm pellere morbos.
Id norunt Veteres etiam: nova forma medelæ
Ut ſit communis, morbos quæ conterat omnes,
Si valeant vinci (quis fata noviſſima vincat?)
Debetur noſtris, & noſtra id prodidit ætas.
Quis Deus hoc, Muſæ, quis nobis extudit ingens
Præſidium? unde ingreſſus experientia cæpit?
Ingluvii, & ſomno in præceps labentibus annis,
Humana (heu miſerum!) fœdè jam victa jacebat
Sub gravibus natura malis; quæ neſcia vinci
Quot ſapiens quondam medicamina, Phæbe, parabas,
Ante diem innumeros rapiebant protinus ægros.
Tollere ſe primum, nullis ſed legibus, auſus
Eſt contra (fas eſt ſi credere) miles Iberus,
Et gelidis adjutus aquis ſubmittere febres.
Interea cupidas hominum compleverat aures
Parthenope in magna rumor (nam forte medentum
Ignarus temerè vires tentabat aquarum
Callidus ignotam miratus militis artem)
Præſens auxilium latices mortalibus ægris;
Innumeriſque potens lapſam reparare ſalutem. (a)
Ergo Machaonia clarus (b) Podalirius arte,
Cui rerum cauſas, magni primordia mundi
Cui noviſſe labor, quo non præſtantior alter

Et

(a) *Vide Nicolaum Creſcenzo*. Ragionamenti intorno alla nuova medicina dell'aqua lib. 2. p. 87. *& alibi paſſim.*

(b) *Intellige Franciſcum Seraum inſignem medicinæ Profeſſorem, & in Neapolitano Archigymnaſio Practicæ Prælectorem.*

Digitized by Google

Et citharæ pulſare fides, & ducere cantus,
Ut quid poſſit aqua in morbos, meliuſque repoſtas
Quæreret ut vires, nullo comitante, relicto
Sirenis ſtrepitu magnæ, curiſque ſeveris,
Fertur ubi Euboicis quondam præclara colonis
Tyrrheni propter ſurgebant mœnia fluctus.
Huc illum ſpeculâ obſervans Miſenus ab altâ
Trojanæ Tubicen claſſis vocat ære canoro.
Nam mite ingenium terræ: clementia Cœli
Grata ſalutari virides beat aere ripas.
Aſt oculos, mentemque trahit properantis Agrippæ
Regis opus magnum, documentum illuſtre laboris
Egregii, miranda & adhuc (a) Piſcina ſuperſtes.
Illa quaterdenis, atque octo innixa columnis
Quintuplicem in numerum, queis Porticus alta ſuperbit.
Ordine quadrato geminas Boreæque, Notoque
Recludit valvas: gradibus per limen utrumque
Eſt bis vicenis, quæ ſemita ducit euntes
Declivis. Paries circum teſtudine mirâ
Denſatur; mirâ ſtratum feliciter arte
Illimes tutò ſervat ſitientibus undas.
Multa ſuper latices ſecum hic dum mente volutat
Anxius, obtutuque hæret defixus in uno,
Ecce lacu erumpit ſerpens immanis ab imo
Orbibus immenſis, maculis cui criſta notatur
Purpureis, auro cui ſquammea terga coruſcant;
Stant oculi ardentes tremulo ſplendore, triſulco
Lingua micat motu, properuſque volumine longo
Multa reluctantem, ſupremaque fata timentem
Aggreditur, ſpiriſque virum complectitur arctis:
Mox diam induitur faciem, dein talia fatur.
Ipſe Deus, Deus ipſe tibi Meſſenius adſum.
Me genitor puerum, natumque Coronide nymphâ,

Expo-

(a) *De hac, quæ dicitur Piſcina mirabilis,* Vide Capac. l. 2. c. 21.

Expoſuit ſilvis: Concordi numine Divûm
Ubera fœta canis lactantia prompta miniſtrat:
Creſcentem excepit Chiron, artemque medendi
Me docuit ſapiens: ſubjecta potentia nobis
Cunctos noviſſe, & cunctos depellere morbos:
Numen ego dicor præſens, opiferque per orbem:
Pergamus, & noſtris ingens Epidaurus amica
Artibus obſtupuit, mirandaque Templa dicavit:
Illinc Serpentis ſacrâ ſub imagine Romam
Provehor: Ipſa mihi Tiberini ad fluminis undas
Terrarum Regina potens de marmore ſacrat,
Inque ratis ſpeciem ſpoliis, votiſque ſuperbum
Templum auguſtum, ingens, cumulatque altaria donis.
Tempore poſt multo placuit, Romàque relictâ,
Hoſpitium hoc nobis, atque humida Regna tenere:
Non mihi quid venias, non quid ſub pectore verſes
Ignotum eſt: dabitur tandem noviſſe quod optas.
Longius at laticum virtus tellure ſub ima
(Exue corda metu) cœca ſub nocte petenda eſt.
Craſtina cum ſurget tenebris aurora fugatis
Te Retina vocat, caveis ubi rupta dehiſcunt
Rura: mihi Gallum, Terræ, matrique Deorum
Agnam mactatò nigrantem tergora: noctem
Tum venerare chaos, manes, umbraſque medentum,
Et Ihiam flammis incende, atramque cupreſſum.
Protinus adveniet ſecum in penetralia Terræ
Qui te deducat, generoſaque vota ſecundet.
Hæc ubi dicta dedit, mediis ſe merſit in undis.
Ille Deum tali fugientem eſt voce precatus:
O ſequor, o quocumque jubes me, ſancte Deorum
Phæbigena. Ecce volens propero, & tua juſſa faceſſo.
Poſtera cum primum roſeis invecta quadrigis
Exoriens aurora diem revocavit ab undis
Retinam venit monſtrata in rura. Labore
Aſſiduo latè hic tellus effoſſa ſepultas
Pandit opes magnas, abſorptamque Herculis urbem.
Nam clemens quondam Titus cum jura teneret

Impe-

Digitized by Google

Imperii, horrificis reboans Veſuvius antris
Evomuit flammas, & mixta bitumina flammis.
Saxa volant Cœlo ingentis fundamina montis,
Præcipitique cadunt crepitantia pondere: Tellus
Hàc, illac diſcuſſa tremit, ſubitàque ruinâ,
Peſtiferas aperit fauces, & Templa Deorum,
Atque domos hominum, luxuque inſigne Theatrum,
Horrentemque vorat totam cum Civibus Urbem.
Vix fama obſcurè ad noſtras pervenerat aures,
Hoc extructa loco tam grandia Mœnia quondam.
At nunc, o Regum ſplendor, Rex inclite, quique
Clarus utrumque beas fauſtò moderamine Regnum
Trinacriæ, ingenuaſque foves clariſſimus artes,
BORBONIÆ auguſtum Gentis columenque, decuſque
CAROLE, jam ſuperas iterum ſpirantia ſigna
Imperio recluſa tuo revocantur ad auras.
Miramur geminos præſtanti mole Coloſſos,
Et fortes membrorum artus, niſuſque ſedentùm.
Miramur molli nudatum veſte Neronem,
Ignea (proh facinus!) ſtringentem tela Tonantis.
Humanam inceſſit tam dira ſuperbia mentem!
Roma ſuum ſileat, quo non formoſior alter
Huc ſonipes uſque, Antonino fræna tenente;
Nam ſe tollit equus Pario de marmore: cervix
Ardua curvatur, dextroque recumbit in armo
Denſa juba, argutumque caput ciet acrius iras,
Arrectæque micant aures, pectuſque toroſum
Oſtentat vires animi, ſcapulæque decoræ
Effulgent; alvuſque brevis tornatur in orbem,
Magnaque luxuriant lætà pinguedine terga,
Molliaque articulis ſubſultant crura retortis;
Et, ni marmoreum ſcires, vixiſſe putares,
Et celeri rapidos curſu prævertere ventos.
Quid memorem pictis ſimulacra micantia muris?
Quidve Theatrales Pilas? Quid fulcra domorum?
Crateraſque auro ſolidas, gazáſque repoſtas?

Digitized by Google

Sed jam ſacra facit Podalirius, & tibi gallum
Phæbigena, atque tibi nigram, Ops, interficit agnam.
Tum noctem, obſcurumque chaos, maneſque medentum
Numina ſollicitat precibus non nota; cupreſſus,
Atque ſacris ihiam dat mox adoleſcere flammis.
Nec mora concutitur tellus; antroque profundo
Germanus, qui dixit aquas exordia rerum,
Evolat ad ſuperas confeſtim Helmontius auras,
Compellatque virum, firmatque his pectora dictis.
Parce metu, atque invade viam ſub nocte malignâ:
Ipſe adero tecum, Podaliri, & numine fauſto
Telluris tutum per opaca ſilentia ducam.
Sic ait, & gradiens antro ſuccedit aperto.
Ille animis fidens veſtigia ponè legebat,
Miraturque cavos terræ, abruptoſque meatus,
Fluminaque immenſis ſubter labentia rivis,
Immenſoſque lacus, immenſaque ſtagna. Profundum
Hoc quodcumque vides, & aquarum immane barathrum
Viſceribus terræ claudit natura, paratque
Semina foſſilibus, confeſtim Helmontius inquit.
Diverſis diverſa ſuis ſunt ſemina rebus,
Quæ totidem fermenta fovent: Exordia ſunt hæc,
Seminibus cunctis per quæ producitur eſſe:
Principium ſed aqua eſt, ex quâ ſunt omnia primò,
In quam diſcidio redeunt quoque cuncta ſupremo.
Omne quod eſt igitur purâ formatur ab undâ,
Cui quædam cœleſtis ineſt in corpore virtus;
Quippe olim, ſupera quæ nunc regione locatur,
Juncta ſibi ingenium potuit cœleſte parare.
Nam Pater omnipotens Cœlum, Terraſque creavit
Principiò; liquidas tamen ante creaverat undas,
Cunctaque mixta ſimul replebat abyſſus aquarum,
Quas ſuper excurrens Mundi jam captus amore
Spiritus ipſe Dei propria virtute fovebat.
Hinc opus eſt clarum primæ lux alma diei,
E tenebriſque ſtatim rutilat diviſa ſeorſum.

Accen-

Accenſura faces Phœbo, ſtelliſque nitorem.
Tum Cœlum infernas ſuperis ſejungit ab undis
Alterius jam lucis opus. Mox arida ſurgit,
Dum mare cogit aquas curvato litore, tellus,
Seminibuſque ſuis lætas ſe tollit in auras
Humor ubi cœcos penetrat, laxatque receſſus,
Innumeriſque viret pubens cum floribus herba;
Quæque novis fœcunda comis exuberat arbos:
Frondeſcunt Silvæ: lætis in collibus ilex
Aſſurgit, quercuſque, & coniferi cypariſſi.
Nec minus hic tumidâ vaſtæ telluris in alvo
Semine multiplici concreſcunt quæque metalla,
Et ſolidum liquidis aurum producitur undis,
Argentumque riget durum, fluidumque movetur,
Matris ad exemplum, vivumque eſt nomine dictum.
Æris item, & ferri, & calybis ſunt corpora nata,
Et ſtamnum, & plumbum, tetrumque, & pingue bitumen,
Sulfuraque, & nitrum, nec non magnetica cautes,
Atque ſales, ochræque leves, vivuſque pyrites,
Cadmiæque graves, chalcanthum, & alumen aquoſum.
Denique cunctarum tali ſub lege creata
Natura eſt rerum primævâ ab origine Mundi.
Nil mortale ſonans afflatus numine Moſes.
Jam propriore Dei canit hæc, quem deinde ſequuti
Phœnices quondam, & Pharii gens accola Nili.
Hæc præcepta Thales Grajas docuiſſe per urbes
Fertur. Aquas igitur verâ ratione fatendum eſt
Materiem rerum, ſed res ex ſemine naſci.

Talibus interea dictis quà dextera ducit
Corripuere viam celeres; nam læva ſonantes
Ignivomi mittit præceps Phlegetontis ad undas,
Mœnia qui triplici cingit circumdata muro
Pœnarum ſedes, & luce carentia Regna,
Horror ubi, ſtridorque gravis, fremituſque nocentum,
Clamoſuſque ſonat vaſtis ululatus in antris,
Æternùmque vorat miſeros induſtrius ignis.

Digitized by Google

Ergo iter emenſi tandem melioribus auſis
Devenere locos lætos: hic prata vireſcunt,
Perpetuò, æterniſque halant hic floribus arva:
Hic ſemper ſilvæ frondent: has turba bonorum
Felices habitat ſedes, tutoſque receſſus.
Dum ſacros luſtrant lucos, & amœna vireta,
En platanis umbrata novis ſe ſe explicat ingens
Porticus, arcanam ſolers Boerhavius artem
Monſtrat ubi, propiorque notat quid poſſit oriri,
Quid renuat, rapidum exercens fornacibus ignem;
Primarumque docet fatum immutabile rerum.
Circum Turba frequens veræ rationis amore,
Illecebriſque novis, arrectis auribus aſtat.
Nam quæ cura fuit vivis exquirere rerum
Naturam, hæc eadem ſequitur tellure repoſtos.
Arte Tubalque Cain, qui primus protulit æra,
Et ferrum primus varios excuſſit ad uſus,
Lætus adeſt, primoſque ſibi depoſcit honores.
Vulcanuſque opifex Ætnæo clarus in antro,
Et qui tot ſapiens monitis ter maximus Hermes
Dicitur, & Canes, Oruſque, & Zozimus ingens,
Pebichiuſque Sagax, cultòque Apulejus ore,
Fata canens Merlinus, & Heliodorus, & acri
Ingenio pollens, arcana & Lullius arte.
Treſque Arabes docti, magnuſque Albertus, & ingens
Gloria Romulidum ſapiens Moriemus, & omnes
Has inter major Bacho Rogerius umbras;
Atque Valentinus, Baſilius nomine dictus,
Et Paracelſus adeſt, Boyles, Tachennius Otto,
Crollius Oſvaldus, ſequitur quem ponè magiſtrum
Hartmannus, Lemeryque Vigil, Beguinus, & unà
Mille aderant alii famà, ſtudiiſque ſuperbi.
Huc illi rapidi tendunt, turbæque propinquant.
Ut Venere, Ducis juſſu Podalirius inter
Conſtitit admirans. Sed jam Boerhavius ignis,
Aeris, & terræ nullâ immutarier arte

Mon-

Monſtrarat, ſemperque ſuum ſervare tenorem
Principia, & mox naturam inquirebat aquarum.
Se cœptis ergo expediens, ſic incipit ille.
Quiſquis aquam noviſſe putat, nam ſenſibus uſque
Obvia ſe prodit partes diſtincta per omnes,
Fallitur, & quiſquis proprias deponere partes
Inquit aquam, tenuis quoniam perſæpe refugit
A ſenſu, inque alias res ſe ſe vertere poſſe,
Avius hic etiam a verâ ratione recedit.
Aeris e medio latices divellere aquarum
Vis ingens non ulla poteſt; cùm partibus ipſis
Aereis etenim ſemper miſcebitur unda;
Corporibus rerum innumeris exuberat aer!
Quis ſimplex igitur jactet, ſe noſcere poſſe
Quid ſit aqua, inque ſuas illam diſtinguere partes?
Nec minus ipſa etiam, tot jam volventibus annis,
Semper aqua eſt, furtim quamvis per corpora mille
Semper eat redeatque vias; ſed neſcia vinci,
Et licet innumeras videatur ſumere formas,
Continuòque novas in res mutarier; illa
Attamen interius non eſt mutabilis unquam.
Nam fluitantis aquæ latices ſi deſerat ignis,
Amplius in tenues non illa movebitur undas,
Inque gelu, ceu facta ſilex, concreta rigeſcet.
Ignis ſed redeat, propriâ ſub imagine rurſus
Eſt aqua. Cum rapidus furiis Vulcanus apertis
Irruit, in liquidas ſubitò diſpergitur auras
Illa volans, ſenſuſque fugit jam corpore cœco,
Non ſecùs ac plumbi tenuata elementa per ignem,
Argenti & vivi latices difflantur; at uſque,
Quolibet atque loco, ut plumbi ſunt corpora plumbum,
Argenti & vivi latices ſunt corpora vivi
Argenti, uſque & ubique etiam ſic ſemper aquarum
Natura eſt aqua, nec res eſt diverſa priori.
Quid cum plantarum per cœca foramina tranſit?
Et truncos auget, ramiſque & fructibus ornat?

Digitized by Google

Cumque per innumeros animantum immiſſa canales
Corpus alit, vireſque fovet renovatque viciſſim?
Illa vehit revehitque fluens alimenta, perenni
Circuitu cunctis, quas res increſcere, alique
Cernimus: ingenio variarum corpora rerum
Miſcet agens, craſſa attenuat, concreta reſolvit,
Quidque deeſt addit, nec non haud ſegnius aufert
Omne ſupervacuum. Quanto volat illa vapore
E plantis fugiens, cunctiſque animantibus, arcta
Dum ſe ſe inſinuat per ſpiramenta, trahitque
Multiplici partes ſecum diſcrimine rerum?
Hinc ab aquis hominum vita, interituſque parantur,
Atque ſalus, morbique ſimul, prout ordine multo
Aut claudit, reſeratque vias, aut moris abundat
Particulis rerum varii, reſugitve, manetve:
Non tamen idcirco latices mutantur aquarum,
Cætera nec pariter mutari corpora poſſunt.
Nam quæ diſcidium partes patiuntur in omnes,
Ut fuerant magnâ, minimâ ſunt talia mole.
Per varios igitur concurſus, pondera, plagas,
Connexus, motus eadem natura ſuperſtes
In rebus conſtat, quæ pura elementa vocantur.
Nec minus & cunctis ſimplex natura metallis,
Et ſalibus ſimplex, quamvis concreta videntur
Ex ſale mira quidem variarum corpora rerum,
Nec natura tamen rerum mutabitur unquam.
Quid magis eſt vivax, vel quid violentius igne?
Ille ſuperficiem potis eſt invadere tantùm,
Inque quidem tenues elementa exſolvere partes,
Non mutare poteſt: eadem conſtare neceſſe eſt.
Quæ ſpectas igitur Cœlo, Terràque, Marique,
Conditor omnipotens, primævâ ab origine mundi,
Ut nunc ſervat adhuc, juſſu ſic cuncta creavit;
Materià & motu fieri qui cuncta putarunt,
Quot vanas rerum ſpecies, quot ſomnia fingunt!
Si ferri vel aquæ, vel arenæ magnus acervus

Ili-

Ictibus alternis, variis, & motibus actus
Seu fugiat centro, ad centrum ſeu ſæpe trahatur,
Partibus appoſitis corpus, formàque decorà
Perfeciſſe valet, dicam ſic omnia nata.
Dixerat, & cuncti ſtudiis, plauſuque fremebant.

Finis Libri Primi.

DE

Digitized by Google

Digitized by Google

DE HYDROPOSIA

SEU DE POTU AQUÆ IN MORBIS

LIBER SECUNDUS.

AT ſenior Cous, medicas præſcribere leges
Cui jam ſorte datum, quamvis (*a*) Eraſiſtratus obſtent,
(*b*) Chryſippuſque, aliique, tamen convalle virenti
Concilium vocat, atque gravi ſic incipit ore:
Quis Podaliri, ò te, confidentiſſime, noſtros
Juſſit adire locos? Quidve hinc petis? Iſte ſubinde:
Scis Pater, ò, ſcis ipſe, Deûm præcepta ſequuti
Venimus huc, medicis quæſitum oracula rebus.

(a) *Eraſiſtratus Hippocratis auditor, ejuſque obtrectator.*
(b) *Chryſippus, atque alii etiam Hippocratis obtrectatores, nempe Diocles, Caryſtius, Pliſtonicus, Praxagoras, Herophylus, Phylotimus, Eudemus &c.*

Eſt aqua num cunctis potis una obſiſtere morbis?
Hæc ubi dicta, ſenex inquit: Vos dicite, ſi quis
Noverit iſta: Mihi fas eſt perpendere dicta.
Talia ſed contra facundo protinus ore
(a) Edidit Hofmannus: Fugientis temporis index
Artis opus miræ veluti compage rotarum
Machina, ponderibuſque ſuis librata movetur,
Sed totam vectis molem impellitque, regitque;
Spiritus hinc illi nomen; Sic lege perenni
(Quàm pudet, oh, minimis componere maxima rebus!)
Cor ſaliens agitat corpus, vivenſque gubernat
Humanum. Quæ lex tantæ, quæ gratia moli!
Quantus ineſt ordo! Trunco caput imminet altum,
Hinc illinc æquè e ſpina ſua brachia diſtant;
Juſta velut parili pendentia pondera lance.
Pectoris in medio pulmones emicat inter
Cor; jecur in dextrâ reſidet; ſed parte ſiniſtra
Ventriculuſque, lienque manet (quid cætera dicam?)
Omnia libratum ſervant in corpore pondus.
Et licet immotæ ſpatio majore dehiſcant,
Aſt aliæ ſaliunt venæ, ſpatiumque rependunt.
Dura micat mater: jaculatur nerveus humor
Ictibus alternis: ſpirales ordine miro
Inflantur cordis vitali flamine Fibræ:
Omne replent tumidæ ſpatium: Sic vectis ad inſtar
Erectæ cunei propellunt viribus omnem
Qui cruor intus erat; motu celer ille recepto
Itque reditque vias omnes, ſed cominus ipſum
Per patulos cerebrum ductûs petit: illud amicos
Exhaurit ſuccos, iterumque impellit, & iſta
Lege fluunt latices cuncti, refluuntque viciſſim.
At duræ motus matris, cordiſque perennat
Nexibus ingenitis etiam, & compagibus ipſis,
Conti-

(a) *Vide Fridericum Hofmannum de Aqua medicina univerſali.*

Continuatque diu primus genitricis in alvo,
Quem levis impreſſit fœcundans ſpiritus ovum.
Ictibus æquatis ergo, ſi circulus idem
Perpetuò ſervari humano in corpore poſſet,
Humanum nunquam corpus ſua fata timeret.
Sed minimæ formant fibræ fragileſque meatus,
Atque Canaliculos, atque inflexos labyrinthos,
Queis ſibi ſternit iter ſemper circumfluus humor.
Quid mirum ſolidæ tenui ſi corpore partes
Nunc enerventur laxæ, nunc robore multo
Criſpentur tenſæ, proprium perdantque tenorem?
Motibus inverſis turbatur mutuus ordo:
Torpor habet latices: tubulis remorantur, & arctis
Ductibus incluſi longo diſcrimine peccant.
Hinc magis, atque magis ſolidis in partibus ipſis
Firmatur vitium: hinc variâ ſub imagine dic quot
Inſurgant morbi, quot funera dura ſequantur?
Quilibet at tandem, modò ſit medicabilis, uni
Morbus aquæ cedit, quamvis non ſemper ab unà
Naſcatur causà: naturis omnibus illa
Convenit: ætates, & tempus reſpicit omne:
Præſidium ſanis, vires, vitamque tuetur.
Ordiar ex ſanis, rectèque valentibus. Ergo
Queis ſolidas inter, fluidaſque æquabilis ordo
Subſiſtit partes, ſano ſunt corpore; namque
Impulſus ſolidis, fluidis eſt circulus æquus.
Sedibus hinc rectè propriis alimenta teruntur,
Quodque juvat remanet, teritur, ſecernitur; & quod
Aut nocet, aut ſupereſt, corpus propellitur extra.
Aſt aqua ſola valet faciles ſervare liquorum
Circuitus, fibriſque tonum, armoniamque fovere.
Cœcos illa tubos, obſtructaque vaſa recludit,
Et ſtagnare negat latices, craſſoſque reſolvit
Ne ſimul humores coeant: ſecernere puros
Tentat ab impuris; ſalium, terræque latentes,
Sulphureaſque bibit, variaſque ex indole partes,
Perque ſuos ductus, perque emunctoria transfert.

Digitized by Google

Sic ſolidis motus, fluidis ſic circulus æquus,
Sic ſervantur aquà ſano jam corpore vires.
Præterea omnimodam nullo diſcrimine ſpectat
Temperiem. Nimio turgent ſi ſanguine venæ;
Illa fluens motum celerat, ne ſegnior inde
In minimis lateat, gliſcatque canalibus humor.
Fervet agens intus flammato corpore bilis?
Frigida jam bilem, calidos jam temperat æſtus;
Jamque patent mundis anguſta foramina fibris,
Sulfureuſque leves ignis vaneſcit in auras.
Pancreas auſteris, acidiſque liquoribus actus,
Mæſtitiam, curaſque graves num commovet? illa
Mitigat auſteros, acidos lavat illa liquores;
Exhilarat mentem, curaſque avertit amaras.
Lenta nimis claudit tenues pituita canales?
Illa nimis lento detergit phlegmate ductus.
Ætatem ſpectas? Ætati convenit omni:
Optima lactenti puero, cui ſæpe tenaces
Lac fœdos, acreſque ſolet progignere ſuccos.
Hinc aphtæ; hinc ventris fluxus; hinc tormina; vermes;
(a) Phtiriaſiſque gravis, Syllam quæ perdidit, & quæ
Extinxit dirà Pherecydem morte Tragædum.
Illa etenim impurum, fœdumque, tenaxque reſolvit;
Acria comminuit, vermeſque potentior arcet,
Corruptamque negat tetris animalibus eſcam.
Luxuriant tumido creſcentia plena liquore
Corpora? num ſævit noctеſque, dieſque Cupido,
Ut reliquos taceam morbos, flammaſque miniſtrat?
Illa tumeſcentes compeſcit pura liquores,
Reſtinguitque facem, enervatque Cupidinis arcum.

Illa

(a) De Phtiriaſi Sic. q. Serenus.
Sed quis non paveat Pherecydis fata Tragedi.
Qui nimio ſudore fluens animalia terra,
Eduxit, turpi miſerum que morte tulerunt.
Sylla quoque infelix tali languore pereſus
Corruit, & fœdo ſe vidit ab agmine vinci;

Illa etiam incenſos Æſtus ætate virili,
Et ſtimulos facilis domat implacabilis iræ;
Dum rigidas ſalium partes, dum ſulphura viva
Diluit, & rapidos extinguit ſanguinis ignes.
Menſtrua fæminei emendat purgamina ſexus:
Temperat effluvium venarum in ſede cruentum,
Perque ſuos ductus omnes vehit illa liquores:
Et ſenibus ſiccas humectat roſcida Fibras,
Et pingui obſtructos recludit phlegmate calles.
Nunc aqua cur præſens cunctis medicina fugandis
Sit morbis, dicam; primique notentur acuti,
Hoſque inter Febres primùm. Mutata fibrarum
Cordis temperies Febris eſt: tenduntur ab illâ,
Seu laxantur enim plus quàm natura repoſcit.
At cordis vitium ſalientibus undique venis
Latè per corpus ſerpens diffunditur omne;
Interturbantur motus; non ullus & ordo,
Aut modus, aut ratio fluidis; non circulus æquus;
Non opus appoſitum mox machina perficit ullum.
Hinc Fibras nimium tenſas, frigusque, rigorque,
Et tremor, atque horror ſequitur, cutis arida, Chaſme,(a)
Anxietas, & nulla quies, & ſpiritus æger;
Liveſcunt ungues; facies turbata rubeſcit;
Igne micant oculi; circum præcordia ſanguis
Fervet, & alternos celerat ſine legibus ictus
Vena nimis ſaliens; tactu modò parva, modòque
Magna, vibrans modò, duræque ſimillima ſerræ;
Nunc intermittit motus, nunc vixque movetur;
Excitat ipſa ſitim contractis aſpera fibris
Lingua; ſuos etenim latici fluxiſſe negatur
Per ductùs; torpent, oppletaque vaſcula turgent,
Ventriculi tunicæ rigidum curvantur in arcum;
Nauſea tum ſævit, vomitus, ſtimuluſque vomendi
Irritus,

(a) *Chaſme, Chaſmos*, χάσμα, χάσμος. *Oſcitatio dicitur a* χάσμα, *hio.*

Digitized by Google

Irritus, & niſu quatit ilia tuſſis inani:
Alvus ſupprimitur; tenuem veſica, levemque
Micturit humorem; ſtricto remoratur hiatu,
Corpore quæ ſano cæci ſub imagine fumi,
Materies ſpirat ſemper, fœdatque liquores;
Augetur ſolidis moles, ſtagnantibus illis;
Concipitur varius variis in partibus ignis,
(*a*) Abſceſſuſque tument paſſim. Tunc ſurda Parotis (*b*)
Aures infeſtat; tunc (*c*) exanthemata pingunt
Rubra cutim, maculatque ſuis (*d*) Lenticula nævis.
Tunc riget, & (*e*) Spaſmus, furit & veſana (*f*) Phrenitis;
Innumeri illudunt, capitis, dorſique dolores
Præcipuè, & lumbi, (*g*) colicuſque, atque (*h*) Ileos, atque
(*i*) Cardiacus; reſonant ſingultus interrupti.
Idque genus cruciant Ægros ſymptomata mille.
Cum verò nimium Fibræ laxantur, inertes
Vix ſaliunt venæ: molles, celereſque frequentant
Enerves ictus, patuliſque meatibus humor

Pluri-

(a) *Abſceſſus*. Ἀπόστημα. *Denotat tumorem præter naturam.*
(b) *Parotis*. Παρωτὶς. *Generaliter ſignificat omnem abſceſſum, & tumorem glandulas ad aures occupantem, & infeſtantem.*
(c) *Exanthema*. Ἐξάνθημα. *in genere denotat omnem efloreſcentiam, aut eruptionem præternaturalem in cute.*
(d) *Lenticula ſignificat peculiarem ſpeciem febris malignæ contagioſæ, qualis eſt Petechialis cum maculis effloreſcentibus, lentis magnitudinem referentibus.*
(e) *Spaſmus*. Σπάσμος. *Convulſio, vel in toto corpore, vel certo membro muſculoſarum partium contractio permanens, & rigiditas durans.*
(f) *Phrenitis*. Φρενῖτις. *Quamvis generaliter omnem mentis emotionem videatur denotare, uſus tamen apud Veteres, & Recentiores obtinuit, ut ſaltem vocabulum hoc acciperetur de delirio continuo cum febre acuta, & inflammatione interna cerebri, & meningum ejus conjuncto.*
(g) *Colicus. Colica*. Κωλικὴ διάθεσις. *Eſt morbus plenioris (id eſt craſſioris) inteſtini diuturnus, in quo cruciatus difficultas ſpirandi, ſudores, perfrictioneſque ſuboriuntur. Galen. in defin. Suntque colicus, & volvulus inteſtinorum etiam inflammationes, quorum alter tenuioris inteſtini effectus eſt, alter plenioris,*
(h) *Ileos*. Εἰλεός. *Eſt affectus inteſtin. Ilei vehementiſſimus.*
(i) *Cardiacus morbus, eſt vehementiſſimus ſtomachi dolor.*

Digitized by Google

Plurimus exſudat, ſegniſque graviſque (a) veternus
Lumina feſſa premit, caput & vertigine nutat,
Deficiuntque animi, turbataque ſolvitur alvus,
Turbatoque cadit præceps urina fluento,
Impuruſque latex magis, & lutulentior hærens
Ductibus effætis ſtabulat: Fœcunda malorum
Sic ſeries creſcit, ſic (b) Phlegmona concipit ignes,
Sic livens Gangræna (c) ſubit, frigenſque (d) Necroſis:
Totque alii obveniunt multo diſcrimine caſus,
Ut magis, utque minus vel debilitata fatiſcit,
Vel Fibra tenſa riget, proprium mutatque tenorem.
Nec minus ut propriam molem, ingeniumque, modumque,
Aut vires variant morboſæ, & tempora cauſæ;
Sic variæ erumpunt Febres: vitium tamen omne
Emendatur Aqua, amiſſam quæ reddere Fibris
Temperiem poterit, fluidiſque liquoribus æquum
Circuitum; vel enim laxas jam frigida tendit,
Vel calida extenſas laxat juſto ordine partes:
Humida quodque deeſt tribuit, fluitanſque repellit
Quod ſupereſt. Gliſcit viciato in ſanguine motus
Interior, dum Febris adeſt: reſoluta calore
Roſcida pars, tenuiſque feri diſpergitur? Addit
Hanc aqua materiem: latices jam ſanguis aquoſos
Ebibit, & tefluens partes, mora nulla, per omnes,
Atque ſero, & lymphæ, ſicciſque canalibus actus,
Sufficit humorem: latitans immunda putredo
Hàc illac concuſſa ruit, rapidoque fluento
Provehitur tandem, tubuliſque erumpit apertis;
Quæque illudebant primum ſymptomata, ceſſant:
Nulla ſitis flagrat, proprioque imbuta liquore
Per minimos agitur ductùs, ſtillatque ſaliva,

Et lin-

(a) *Veternus. Lethargus.*
(b) *Phlegmona.* Flegmone. Φλεγμονή. *Inflammatio.*
[c) *Gangræna.* Γάγγραινα. *Dicitur partis alicujus ob inflammationis, qua conflictatur, magnitudinem, incipiens mortificatio, & corruptio.*
(d) *Necroſis.* Νέκρωσις. *Mortificatio.*

Digitized by Google

Et lingua, & fauces ſparſo jam rore madeſcunt,
Deferveтque calor, totum nam frigida ſiſtit
Qui furit interior, rapidos & temperat æſtus.
Hæc eadem contra potis eſt compeſcere frigus;
Nam dum ſanguis hebet deſes, tarduſque movetur
Circuitu lento, frigent tunc membra: quietem
Materies morboſa parat, purumque cruori
Denegat humorem, laxiſque canalibus arcet
Vitales minimis conſtant quæ partibus auræ.
Aſt aqua circuitum fluxuque, & pondere multo
Sanguinis accelerat, fibras & frigida firmat,
Et concreſcentem ſolvit, penetratque cruorem
Interius, ſtringitque cutim, cohibetque volantis
Particulas auræ; vitali concita motu
Paulatim jam membra calent, vireſque reſumunt.
Nec minus algenti totum perfundere corpus
Dum friget nimium, & nimio ſudore fatiſcit,
Præſtat aquâ laxos præſtat denſare canales,
Atque leves ſervare animas, motuſque ciere
Circuitu properò, & membris renovare calorem.
Aſt hic continuiſſe nequit ſe (a) Muſa: loquentis
Abrumpit vocem, & medio ſermone profatur.
Inventum hæc medicina meum eſt. Ex (b) ære ſuperbum
Roma mihi poſuit, ſervato Cæſare, ſignum,
Et ſi Fata Deum nimium non læva fuiſſent,
O' decus, ò ingens auguſtæ gloria gentis,
Vix ortus terris, primo vix flore juventæ,
(c) Quid tum ſi Marcellus eras? medicamine tanto

Te

(a) *Muſa. Uſum frigidæ in Balneis primos omnium Euphertum Jubæ Regis, & Antonium Muſam Auguſti Medicos fratres, monſtraſſe refert* Plinius lib. xxv. c. vii.

Medico Antonio Muſa, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerunt, Statuam, ære collato juxta ſignum Eſculapii ſtatuerunt. Sveton. de eodem Antonio. *item ſic* Horatius Ep. 15. lib. 1. ...... *nam mihi bajas Muſa ſupervacuas Antonius, & tamen illis Me facit inviſum gelidà cum perluor unda Per medium frigus &c.*

(b) Vide Dion. Caſ. lib. 53. Sveton. in Auguſt. cap. 54. & 81.

Te quoque ſervaſſem. Heu pietas! quæ triſtia vidi!
Illum etiam Tibris, illum etiam Capitolia flerunt:
Martius illum etiam inſperatâ morte jacentem
Campus, & attonitæ fleverunt mœnia Romæ.
Hæc ubi, proripuit ſe ſe, lacrymanſque refugit.
Quid ſibi (*a*), Charmis ait ſurgens, tam grandia jactat
Iſte? quid immeritâ juvenem ni morte necaſſet
Egregium? mihi tantus honor, mihi gloria tanta
Debetur. Tandem ſtagnis algentibus omnes
Imperio Thermæ noſtro ceſſere calentes.
At quis Romanas potis eſt expendere Thermas? (*b*)
Quantæ molis erant, quà ſe ſe tollere cœlo
Certabant! quali ſtudio, quantoque labore,
Ordine quam miro ſtabant, quam divite ſumptu!
Græcia non illis ſimiles (tot Græcia quamvis
Enumeret, laudetque ſuas, miracula rerum),
Inſula non illis ſimiles (*c*) Atlantia vidit
Oceano in magno; quamvis matreſque, viriquе,
Attonitique illic Reges numeroſa columnis
Balnea ſpectaſſent nitidis gemmantia ſaxis.
(*d*) Quæ primum Tibris ſordes purgabat in undis,
Poſtquam vel validis flexiſſet viribus arcus,
Cæſtibus aut ſurgens certaſſet ruſtica crudis,
Orbe triumphato, mox jam Romana juventus
Divitiis gaudet Thermas, opibuſque profuſis

E (*a*) Mo-

(a) *Charmis quoque medicus Maſſilienſis damnato Calidorum balneorum uſu, hiberno tempore frigida lavari hortabatur, atque in lacus ægros mergebat.*

(b) *Gregorius Fabricius in ſua Roma: inquit In nullis antiquorum operibus plus luxus, & inſaniæ cernitur, quàm in Thermis Imperatorum, quas in Provinciarum modum fuiſſe extructas Ammianus conqueritur.*

(c) *Habemus ex Platone in Critia, ſive Atlantico* pag. 117. *ultra fretum Gaditanum, nunc* (Stretto di Gibilterra) *Inſulam quamdam fuiſſe Atlanticam nomine, quam* Cluver. introd. Geogr. l. 6. *meminit, ab Oceano ſubmerſam, in qua Balneæ, Thermæque erant incredibili luxu erectæ, ac omnium deliciarum genere abſolutæ. Reges ſuas habebant, ſuas Principes viri: ſuas mulieres: & privati ſuas; nec minus equi ipſi & jumenta.*

(d) *Principio ritus ab exercitiis traductus, quod ſudorem aqua abluere judicaretur; ideo milites in campo decurrebant, exercebanturque, & in Tiberi vicino natabant.* V. Roſin. Antiq. Roman. tit. de inventione, uſu, ornatu Thermarum, & lavandi ritu.

Digitized by Google

(a) Moliri: Gemmæ tantum calcantur & aurum.
Eſt excluſus onix, atque eſt excluſus ophytes.
Quæque Phryges mittunt maculis diſtincta cruentis
Sinnade, quæque Paros niveo decorata colore,
Quæque interſperſo rutilantia Thebais auro,
Et queis nil oritur toto præclarius orbe,
Marmora ſublimi diſtincta locantur ab arte.
(b) Salſa etiam Pelago deducitur unda refuſo;
Lactea deque tuo deducitur Albula Fonte,
Auguſtaſque ſubit Thermas, mora nulla, Neronis
Deliciis elata ſuis, labriſque renidet
Auratis, baccas inter, virideſque ſmaragdos.
Aſt operum quoniam ſeriem comprehendere paucis
Non mihi poſſe datur; ſpeciem tamen ordine pandam
Unius, & nequeunt quæ dici, diſcite ab uno.
Area circuitu terno diviſa quadrati (c)
Clauditur in ſpeciem, ſpatiis ampliſſima vaſtis;
(d) Veſtibulumque tenet Pariò de marmore, ſpirans
Ardentes Boreas ſolis quà temperat æſtus.
(e) Undique qui primus totam, ceu mœnia, molem
Ambitus includit, vario Gymnaſia formàt

(a) Or-

(a) *Seneca de Magnificentia vel in ipſis privatis balneis ædificandis, ita loquitur. Quiſque Pauper ſibi videbatur, at ſordibus, niſi parietes balneorum magnis, ac pretioſis artibus refulſiſſent, niſi Alexandrina marmora numidicis cruſtis diſtincta fuiſſent, niſi illis undique operoſa, & picturæ modo variata circumlitio prætexeretur; niſi vitro conderetur Camera, niſi aquam argentea Epiſtomia fudiſſent.* Epiſt.87. *& alibi: eo deliciarum pervenimus, ut niſi gemmas calcare nolimus.* Ep. 86. *de Balneo Claudii Etruſci.* Vid. Statium Sylv. lib. 1. Sylv. v.

(b) *Tam profuſa fuit Neronis libido, ut dulcibus non contentus aquis, marinas, teſte Lampridio, & Svetonio, atque albulas in ſuas Thermas deduci curaverit,* Vide Mercur. de Arte Gymnaſtica lib. 1. cap. 10.

(c) *Aera ampliſſima, quæ in quadrum clauſa, tribus veluti perpetuis circuitionibus diviſa erat.*

(d) *Eſt viſum pluribus Antiquariis, ad Septentrionem fuiſſe principale veſtibulum totius hujus Ædificii.*

(e) *In primo undique ambitu, quæ mœniorum inſtar totum Ædificium claudebat, erant Gymnaſia exercitationum vario ordine.* Joannes Roſinus Antiquitat. Romanar. cap. XIV. de Thermis lib. 1.

Digitized by Google

(*a*) Ordine. Porticibus tectis patet Exedra latè.
Hic alii rerum cauſas ſpeculantur, & aſtra:
Eloquio certant alii: diſcrimina vocum
Pars docet, & grato ſolari carmine curas.
(*b*) Eſt quoque qui noſtras oſtentat ſedulus artes,
Et magna ingeniis inveſtigata medentûm.
(*c*) Hæc loca non Pugilum ſtrepitus, crudæque Palæſtræ
Perturbant, volucrumque fragor furioſus equorum;
Sed dulces avium cantus, ſed murmure dulci
Exhilarant nitidis ſalientes fontibus undæ.
(*d*) Quattuor at Plateas longè, latèque ſecundus
Ordinat, & ſylvâ cingit Platanona virenti.
Gratior hîc terræ facies: hîc gratior umbra;
Prataque multiplici vernantia flore renident.
Callibus hîc geminæ latis ſternuntur Hypæthræ. (*e*)
Seu juvat inceſſu ſpatiari fortè ſub umbrâ,
Seu pedibus celeri præſtat contendere curſu,
Seu pernicis equi dorſo clamore ſecundo
Aera per liquidum reſerato carcere ferri.
(*f*) Tertius in medio Thermarum conſtruit ædes,

E. 2 Atria-

(a) *Primæ Gymnaſiorum partes fuerunt Porticus Exedris, ſive Cubilibus apertis plenæ, in quibus Philoſophi & Rhetores, Matematici, & omnes denique diſciplinarum amatores diſputando, legendo, & docendo exercebantur.* Hyeron. Mercur. de Arte Gymnaſtica cap. 8.

(b) *Non deerant & Scholæ Medicorum, ut oſtendit Marmor cum hac inſcriptione Romæ ad D. Sebaſtiani repertum.* M. LIVIO. CELSO. TABULARIO SCHOLÆ. MEDICORUM. M. LIVIVS EUTICHUS ARCHIATROS. OLL. D. II. IN. FR. PED. IIII.

(c) *Hic erant Gymnaſia Philoſophis dicata, ac Rhetoribus, reliquiſque, qui ſtudiis literarum dediſſent operam, utpote pars magis remota a ſtrepitu Athletarum, & ſitu commodiſſimo, tum propter amœnitatem umbrarum (erant enim hîc Platanones) tum propter grata fontium murmura in natationem ipſam cadentium.* Joan. Roſin. ibid. ex Baccio.

(d) *In Secundo longè, latèque Spacia Platearum, Xiſta, ac Platanones ad exercitia ſub dio.*

(e) *Inter Platanones erant duo ſtrata Xyſta, quæ ex* Vitruvio l. V. C. II. *appellantur Hypæthra: inquit enim: Proximè autem Xyſtum, & duplicem Porticum deſignentur Hypæthra ambulationes, quas Græci περιδρομίδας, noſtri Xyſta appellant, in quas per hyemem etiam ſereno Cœlo Athletæ prodeuntes exercentur.*

(f) *In medio tota ipſa moles Thermarum, quæ ſunt membra Balnearum, Atria ſimul*

Atriaque, & Xiſtos, variis & balnea membris,
Surgit ubi bis centum Porticus alta columnis,
Et tectis duræ ſtadiis per frigora brumæ
Nuda Athletarum defendunt membra Palæſtræ.
(*a*) At facie in prima, tepidum quà ſpectat ad auſtrum,
Ampla Theatridi moles ſe tollit ad auras,
Pars princeps, operiſque caput, formàque recurvà
Ambitus exterior latè diſtinguitur, unde
Ceu per poſticum dextrà, lævàque ſuperbis
Porticibus partitur iter, Plateamque recludit
Ingentem. Hinc aditus circum; ſeu Balnea, ſive
Quà claris Pugilum fumant ſudoribus artus,
Ire juvat; variò præmonſtrant tramite callem.
(*b*) Sed forma interior ſpecie decorata Theatri,
Sedibus innumeris circum nitet ordine miro.
Hìc Patres, Populuſque ſedent: hinc læta ſub umbris,
Dulce moræ pretium, cernunt ſpectacula cives,
Cum mentita parant juvenes ſua bella, ruuntque
Marte gravi, rudibus quamvis concurritur armis;
(*c*) Cumque cavant ſudibus Palum, ſcutoque laceſſunt
Immeritum, jaciuntve leves de more ſagittas

(*a*) Ba-

ſimul, atque Xyſti, & Palæſtrarum ampliſſimæ porticus, ubi (Auctore Vitruvio) Athletæ per hyemem in tectis ſtadiis exercerentur, ac tranſirent ſtatim ad balneas. Ibid.

(a) *In prima facie, quæ eſt ad meridiem, tertiam fere partem mediam occupabat Theatridium; quæ pars erat Principalis, & tamquam caput totius ædificii, unde duplicem (ut quibuſdam videtur) habebat uſum, alterum extrinſecus, alterum intrinſecus. Ambitum enim exteriorem poſſunt fuiſſe arcuato opere diſtinctum, & apertum, unde ſcilicet ingrederentur quaſi per poſticum, ſive dextrà verterentur, ſive ſiniſtrà per Porticus aperte venirent in ampliſſimam Plateam, ac dinde quo vellent, ſive in Palæſtras, ſive in balneas.* Ibidem.

(b) *In conſpectu verò interiori erat Theatri ſpecie diſtinctum cum ſedibus, ubi ſcilicet Populus, & maxime Nobiles ſub umbra meridiei ſederent ad ludorum ſpectacula.* Ibidem

[c] *Habuit & Athletarum gymnaſtica Pugnæ adverſus Palum exercitationem. Scribit enim* Veget. lib. de re militari: *Palorum uſum non tam militibus, ſed etiam Gladiatoribus plurimum profuiſſe, nec unquam aut arenam, aut campum victores ullos declaraſſe, niſi qui diligenter ad Palum fuiſſent exercitati. Hujus meminit quoque* Plato 7. de leg. Ariſt. in Politic. & Juvenal. Sat. 6.

Digitized by Google

(a) Baliſtis, tenduntque arcus, amentaque torquent.
Parte (b) Coniſterj duplex ab utràque pateſcit
Janua: Niliacus cumulatur ſedibus iſtis,
Sive Dicarcheæ deveƈtus pulvis arenæ,
Quòque Palæſtrita abſtergat jam membra, cutemque
Roboret effœtam, & laſſata foramina ſtringat.
Limen (c) Elæotheſi Panchæos halat odores,
Servat ubi liquidum gemmis diſtincta coruſcis
Plurima (d) Amaracinum (e) Crocinumque (f) & Telina Pyxis.
(g) Ceroma, & Siccum (h) Diapaſma includitur auro:
Ex auro (i) ſtrigiles; auratà ſpongia Pelvi
Innatat, & capſis lomentum (k) conditur aureis.

(l) Nec

(a) *Sagittatio tribus præcipue modis fieri ſolebat, vel ſolis amentis, vel arcubus, vel baliſtis, quibus ſagittas ſubtiles, exileſque inſigentes, ac primo tendentes, deinde remittentes, illas jaculabantur.* Hyer. Mercur. lib. 4. cap. 13.

(b) *Coniſterium Polluci* κόνιστρα *vocatum, in quo poſitus pulvis conſervabatur, ut poſſent cuncti ſtatim illo conſpergi. Ex variis Regionibus in hunc uſum pulveres advectos legimus, ſed duo palmam habuerunt, Puteolanus, de quo Sidonius Apollinaris:* Namque Dicarchææ translatus pulvis arenæ, *& Ægyptius, quem Romam in hunc uſum advehi ſolitum refert* Sveton. in Nerone lib. 35. cap. 15.

(c) *Eleotheſium, quod a Cæcilio Plinio Unctuarium vocatur, erat Gymnaſii pars, in qua luctaturi, & alias exercitationes, vel balneas inituri, ungebantur, redungebanturque.*

(d) *Amaracinum, ſive Sanſucinum, unguentum quod fit ex Amaraco.* Vide Plin. 21. *ubi loquitur de Sanſucino.*

. . . . . Poſteſque ſub ipſos
Ungit amaracino, & foribus miſer oſcula figit. Lucretius.

(e) *Crocinum unguentum, quod* κρόκομαγμα *dicitur: fiebat ex Croco trito, & vino præcipue dulci: Hoc Romani non ſolùm corpora, ſed & pulpita ſpargebant.* Propert. *Pulpita ſollemnes non oluere Crocos.*

(f) *Telina ſunt unguenta, quæ fiunt ex oleo recenti, Cypero, Calamo, Meliloto, herba, ſeu frutice Teli (quæ fœnum Græcum ſignificat) melle, melino, amaro amaraco.* Plin. lib. 13. cap. 1. *Hoc unguentum erat celeberrimum Menandri Poetæ Comici ætate.*

(g) *Ceroma unguentum ex oleo, pulvere, & cera commixtum.*

(h) *Diapaſma. Inſpergimen, quo ad ſudores coercendos utimur; cujuſmodi ſunt quæ ſiccis odoribus conſtant,* ut inquit Plin. lib. 13. cap. 2. *dicitur* ἀπὸ τοῦ διαπάσσω *inſpergo.*

(i) *Pugiles poſt exercitationem iterum ad Unctuarium revertentes, ibi a mediaſtinis, & reunctoribus detergebantur ſtrigilibus.*

I, Puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer. Perſ. Satyr. V.

Strigiles erant vel ferrei, vel aurei, vel argentei, vel cornei, vel eburnei, vel ænei.

(k) *Lomentum, Farina Fabacea, qua utebantur ad erugunda corpora.*

Digitized by Google

(a) Nec minus hinc, atque hinc quadrata Peryſtila circum
Marmoreis latè clauduntur maxima Pilis:
Currenti ſtadium loca grata, breveſque Palæſtræ.
(b) Verſuris utrinque etiam, ſpecieque rotundà
Sphæriſteria bina vides: hìc ludere præſtat,
Seu Pila (c), ſeu follis (d), ſeu quos Paganica (e) jactu
Allicit alterno, aut rapienda Harpaſta (f) fatigant;
Sive rotare juvat Spartani pondera diſci, (g)

Sive

Lomento rigas uteri quod condere tentas. Martial. *Græci* λώμμα *vocat, quod tritum propriè ſignificat.* Plin. lib. 33. *Subtiliſſimum genus lomenti, quod tritum vocant, quinis aſſibus æſtimatum.*

(a) *Duo poſt hæc Peryſtilia quadrata oblonga, hinc, atque hinc unum a Theatridio, quaſi Palæſtræ breves, vel deambulationes.* Roſin. ibidem.

(b) *At in verſuris utrinque unum ſphæriſterium rotunda forma cumpluribus (ut ſcribit* Plin. *junior de villa ſua) exercitationum generibus.*

(c) *Quatuor apud Latinos fuerunt Pilæ genera, quibus ludebant. Follis, Pila magna ex alutà confecta, ſoloque vento repleta.*

(d) *Trigonalis, quæ Pila ſimplici nomine etiam appellabatur, ut apud Martialem.*

Non Pila, non Follis, non te Paganica Thermis.

Erat parva, & Trigonalis nuncupata, vel a loco, ubi ea exercebantur, qui locus triangularis erat, vel potius a ludentium (quod magis credibile eſt) numero, figura & ſitu.

(e) *Paganica ſic appellata, quod eſſet vulgaris admodum, & in villis Pagis vocatis, vel in Pagis urbis, ut plurimum in uſu haberetur. Nam* Dionyſius Antiquitat. lib. IV. *refert, Romam in quatuor tribus olim partitam fuiſſe, quæ & Pagi, ſicut earum habitatores Pagani nominabantur. Pila erat ex corio pluma repleto, triagonali latior, non ita tamen, ut eſt follis, laxa, ſed durior.*

(f) *Harpaſtum Pilæ genus, quod ob nominis ſimilitudinem idem prorſus videtur, quod* αρπαστὸν *Græcorum. Erat enim Pila, quam ludentes alter alteri eripiebat; cujus verò magnitudinis, & ex quà materià foret, haudquaquam ab ullo auctore explicatum habemus, niſi quod ex Athenæo liquet, Harpaſtum rotundum fuiſſe. Veriſimile eſt etiam ex corio, ſicuti cæteras Pilas, conſtaſſe.*

(g) *Sunt qui crediderunt, Diſcum fuiſſe lapidem gravem, quem exercentes ſe projiciebant, & cum ferreus erat maſſam vocabant; adducuntque teſtimonium Martialis, qui cecinit.*

Splendida cum volitant Spartani pondera diſci.
Eſte procul, Pueri, ſit ſemel ille nocens.

Alii, quibus aſſentitur Mercurialis lib. II. Gymnaſt. *arbitrati ſunt, Diſcum fuiſſe laminam quamdam trium, vel quatuor digitorum craſſitudine, longiorem paulo plus pede, alias lapideam, alias ferream (Æneam quoque ex ſepulcro Marci Mannii Philopatris athletæ in via ſalaria poſito, ſe vidiſſe, teſtatus fuit ipſi Mercuriali peritiſſimus Ligonius) cujuſmodi majorem partem, ne, dum ex alto rueret, frangeretur, fuiſſe. Puto planam, quaſi lentis ſpeciem referentem, quam in aerem projiciebant.*

Sive Trocho (*a*) placeat Græco, aut Haltere (*b*) lacertos
Exagitare gravi, celerique aſſurgere ſaltu.
Tecta Paleſtra (*c*) procul, Xiſtum quem nomine dicunt,
Attollit ſe ſe: ſtrato ſtat pulvere campus,
Firmius ut preſsà juvenes luctentur arenà, (*d*)
Aut ſtrictis tantum ſtudeant contendere pugnis,
Sive ligare velint ad cæſtum (*e*) brachia loris,
Sive magis toto penitus cum corpore ſævum

Pan-

(a) *Trochus* (τροχὸς) *quo luſitant pueri, turbo eſt, a rotando dictus.* τρέχειν *Curro ſignificat & Trochus rota, revolutio, quæ rota (ut inquit Acron) alludentibus pueris ſcutica agitabatur & rotabatur.* Mart. lib. 14.
Iſte Trochus pueris, at mihi canthus erit.
Et Horat. lib. III. Carm. Od. 24.
Venarique timet, ludere doctior
Seu Græco jubeas Trocho,
Seu malis vetita legibus alea.

(b) *Diſco ſimile erat alterum exercitationum genus* ἁλτῆρες *a Græcis appellatum. At Halterum hæc erat differentia; vel enim projiciebantur manibus extenſis, & viciſſim inflexis; aut in manuum protenſione, quæ quieſcebant, & ut plurimum brevi motu movebantur ſolum continebantur: ipſi verò qui exercebantur, non ſecus ac Pugiles introibant, & concutiebant, vel qui ſe exercebant ſecundum dorſi aſſenſum manibus viciſſim, ſe flectebant. Erant Pilæ plumbeæ, maſſulæve, vel projiciebantur, vel quibus utraque manu ſe librabant, qui ſaltu certabant, ut certius aſſilirent.* Martial. in Apoph.
Quid pereunt ſtulto fortes Haltere lacerti?
Exercet melius vinea foſſa viros:

(c) *Xiſtus, Porticus tecta, ubi per hyemem exercebantur. In hac Palæſtra erat pulvis ſtratus, ſed humilis, ac modicus, ita ut duo fuerint loca pulvere ſtrata, alter Palæſtra, alter extra Palæſtram; in illo pulvis humilis, in hoc altus, & copioſus eſſet, cujus pulveris in utroque uſus erat, tum ut certantes firmius contenderent, neque pedibus laberentur; tum etiam, ut qui in terram dejiciebantur, minus læderentur: At altus pulvis hoc amplius habebat, quod dum homines in illo pedes altè figebant, majori conatu, & vi ad eos attollendos opus habebant, atque inde robur majus comparabant.*

(d) *In hac exercitatione homines nudi concertare conſueverunt, pugniſque ſtrictis vel nudis, vel Æneа vel lapidea ſphæra plenis, unde* σφαιρομαχεῖν*; vel loris, laminave circumſepti ſe ſe invicem percutiebant modò caput, modò dorſum, modò brachia petentes, neque unquam ſe mutuò complicantes; in qua pugnà ſuperabat, qui vel adverſarium pugnorum ictibus in terram proſternabat, vel gravius & damnoſius feriebat.* Vide Mercurialem l. II. c. IX.

(e) *Cæſtus a cædendo. Genus clavæ Pilas Plumbeas loris bubulis appenſas habens; quo Darethen & Entellum pugnaſſe legimus.* Virg. lib. 5. *Cæſtiferos in Gymnaſiis quoque exerceri ſolitos teſtatum fecit Propertius,* qui lib. 3. *in Palæſtris Spartanorum puellas etiam cum cæſtibus exerceri conſueviſſe in hunc modum ſcribit.*
Nunc ligat ad cæſtum gaudentia brachia loris.

Digitized by Google

Pancratio (*a*) valeant duro certamen inire.
Luſibus (*b*) eſt etiam Puerorum ſtructa Palæſtra,
Nomine Ephebæum, teneros ubi roboret artus
Quiſque ſuos, ſtudeatque graves addiſcere pugnas.
(*c*) Nec numeris ſedes deſunt, choreiſque parandis,
Non ubi tam molles ducat choraliſtria motùs,
Quam rauco ad numerum fortis clangore Tubarum
(*d*) Pyrrichios celebret ſaltùs armata juventus.
(*e*) Aſt duplex etiam latere ex utroque pateſcit
Aula, auguſta, ingens; circum ſpirantia ſurgunt
Phidiaca cælata manu de marmore ſigna,

Et

(a) *Aliud exercitationis genus erat Pancratium: in hoc qui exercebantur, aa verſarios & pugnis ferire & comprimere, & continere, & dejicere ſtudebant; nam Pugiles ſolis pugnis contendebant, neque unquam complicabantur. Luctatores vero complicabantur, & comprimebant ut dejicerent; ſed pugnis minimè percutiebant. Pancratiaſtæ tum utroque utebantur, & tum etiam quacumque alia ratione, ut dentibus, genibus, calcibus, talitris, denique toto corpore (ut dixit* Pauſanias lib. 5. Elia) *adverſarium vincere contendebant, atque in eo a Pugilibus differebant.*

(b) *Ephebæum, locus in Gymnaſio, in quo puberes exercerentur. Pueri ſummo mane Palæſtram adibant, ut virorum, qui tunc non aderant, commercium vitarent, atque etiam literarum ſtudiis incumbendi otium ſupereſſet. Id conjectare fas eſt ex Plauto in Bacchidibus, ubi Lydus Piſtocleri Pædagogus patrum erga filios ſui temporis indulgentiam taxat; deque anteacti temporis moribus, ita loquitur. Pueri*

Ibi curſu, luctando, haſta, diſco, pugilatu, pila,
Saliendo ſe exercebant magis, quàm ſcorto, aut ſaviis.

(c) *Coricæum. Locus, in quo Puellæ in primis cantu, & choreis exercebantur.*

(d) *Saltatoria (ut habemus ex* Plutarcho 19. Convivalium) *tres partes habebat, lationem, figuram, & indicationem. Latio erat motio affectus alicujus, vel actionis, vel potentiæ repræſentativa. Figura erat habitudo, & diſpoſitio, in quam motio ſive latio terminabatur, nempe quando ſaltatores quieſcentes ſecundum Apollinis, vel Panis, vel alicujus Bacchæ (ut eſt apud Platonem de legibus) figuram diſpoſiti, in corporis ſimilibus formis graphice aliquantulum perſiſtebant. Indicatio vero non erat proprie imitatio, ſed alicujus rei, nempe Terræ, Cœli, vicinorum numeroſis, atque ordinatis motibus facta declaratio. At Pyrrichia ſaltatio fuit ita dicta ab inventore Pyrricho quodam Lacone, ſeu, ut alii malunt, a Pyrrho Achillis filio, in qua armati ſaltabant cum cantu, & ſine cantu.*

(e) *Erant Geminæ Baſilicæ ex utraque parte, quæ utrinque ducebant ad natationem. Huc conveniebant qui vel loturi, vel Palæſtritarum exercitationes inſpecturi erant. Amplæ inſuper, & ſignis, tabuliſque pictis exornatæ.* Bacc lib. 7. cap. 6.

Digitized by Google

Et quas Parrhaſius ſublimis ab arte figuras,
Quaſque Scopas, Couſque olim depinxit Apelles.
Spectatum Pugiles veniens hac ſede moratur
Turba frequens, curaſque graves & tædia vincit.
Ampla columnarum duplici ſtant ordine contra,
(*a*) Regalique nitent cænacula ſplendida luxu,
Convivaſque vocant variis pro menſibus anni:
Hæc ad meridiem, cum frigida Bruma rigeſcit,
Illa ſed ad Boream, cum torridus æſtuat aer.
Sed juvat ad liquidos tandem deſcendere fontes,
(*b*) Hemicycliſque ſuis callem apodyteria monſtrant,
Et poſitos ſolers cuſtos tutatur amictus.
(*c*) Jam fornax accenſa faces ejectat, & ardor
Inſinuat ſeſe per operta Laconica (*d*) furtim.
(*e*) En Hypocauſta ſuper triplex aſſurgit ahenum,

 Unum-

(a) *Erant Geminæ Baſilicæ ex utrâque parte, quæ utrinque ducebant ad natationem. Huc conveniebant qui vel loturi, vel Paleſtritarum exercitationes inſpecturi erant. Ampla inſuper, & ſignis, tabuliſque pictis exornata.* Bacc. lib. 7. cap. 6.

(b) *Diatæ erant latiores Baſilicæ duplici columnarum ſtylo tripartitæ. Nam mediâ parte ceu Atriolum erat aditus in atrium maximum, & in Paleſtras. Capita verò hinc atque hinc deſinebant in hemicyclis, ubi fortaſſe Athletarum ferebantur judicia. At veroſimilius erant Cænacula, in quibus æſtate ad umbram, hyeme ad ſolem cænabant; δαὶς epulum, vel a δία, & [illegible], ideſt manſio.*

(c) *Apodyterium communis pro exercitatoribus, & loturis ſpoliandis locus; ex quo quia facilè veſtimenta eorum, qui lavabantur, ſurripi poſſent, lege cantum fuit, fures balneorum gravius eſſe plectendos. Sed Balneatores utplurimum capſas conducebant, ut ex* Juvenal. Satyr. x.

Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

& ex Ovid. lib. III. de arte amandi.

Cum cuſtode foris tunicam ſervante puellà
Certent furtivos Balnea multa jocos.

(d) *Fornax, ſeu caminata ſtructura, ſecundum Vitruvii deſcriptionem, ſubterranea calidario, calidæ lavationi, atque vaſario ſuppoſita erat, in quâ ad calefaciendum tum aquam, tum prædicta loca, ignis ſuccendebatur, & ne extingueretur, a ſervis fornacatoribus, ob id in Pandectis a Papiniano vocatis, frequenter cum Pilis, & glomis pice illitis excitabatur.*

(e) *Laconicum. Eſt fornacula ex terrâ, & tegulis mammatis addito tomento concinnata, quæ incluſo igne per ſpiracula parva calefacit præfurnium Laconicum, hoc eſt locum orbiculari ambitu in ſe recurvo in balneis, in quibus ſudor eliciebatur ſicco calore* (ut docet Celſus l. 2.) & Vitruvius l. 5. *dictum*

F *Laconi-*

Digitized by Google

Unumquodque tamen capit, excipiturque viciſſim.
Atque ut proximior flammæ vis concita flagrat,
Continet hoc calidam, tepidam ſed continet illud,
Frigida ſervatur, pro tempeſtate, ſupremo.
Quælibet e proprio verſis aqua ducta canali
Manat (a) Epiſtomiis, vigilatque jubentis ad uſum
(b) Hydrochous: Cellas dextrà, lævàque latentes
Implet agens, variatque vices, lymphaſque miniſtrat.
Hæc igitur frigens, tepidaria dicitur illa:
(c) Cella ſed appoſitis, calidaria, proxima flammis.
Quæ (d) ſiccos etiam exhalat quandoque vapores,
Sudoremque calor nullà ciet aridus undà.
Excipiunt caveæ (e) ſordes: violentior æſtus
Si tamen exſuperet, laſſoque in corpore vires
Deficiant tenues, tunc (f) Crypto-Porticus aurà
Leniter algenti tubulos adſtringit hyantes,
Atque leves animas cohibet, firmatque vigorem.
Quas calor ergo poteſt vires ſubducere, frigus
Sufficit externum: Gelidà perfundere corpus
Præſtat io! præſtat ſtagnis immergier amplis,

Atque

Laconicum, quod eo Lacones peculiariter uterentur. Sic Martialis balnea Etruſci deſcribens.

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, marciaque mergi.

(a) *Super hypocauſtum, hoc eſt ſuper fornacem, ut diximus ex Vitruvio, ahenea vaſa tria componebantur. Unum calidarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium; & ita collocata, uti ex tepidario in calidarium, quantum aquæ calidæ exiſſet, influeret, de frigidario in tepidarium ad eumdem modum.*

(b) *Epiſtomium* (ἐπιστόμιον) *dicitur in fontibus manu fabrefactis, in quibus ſunt fiſtulæ plures aquam tranſmittentes.* Seneca ad Lucilium. *Niſi aquam argentea Epiſtomia effuderint, & adhuc plebejas fiſtulas eloquor.*

(c) *Hydrochous. Balneator a* χέω *fundo, &* ὕδωρ *aqua.*

(d) *Calidarium, quod etiam Laconicum a Vitruvio nuncupatur* cap. 10. *Cella erat nullam aquam intra ſe continens, ad provocandum ſudorem potiſſimum inſtituta, & ob id a nonnullis calida ſudatio, ſicuti a* Cicerone lib. 3. ad q. Fratrem Epiſt. 1. & Cornelio Celſo in Pro. lib. de ruſtic. *aſſa appellata.*

(e) *Cavea, hoc eſt, Cloacæ.*

(f) *Crypto-Porticus. Cella ad refrigerationem accommodata.*

Digitized by Google

Atque natare: (a) Patres quondam, Conſulque natarunt
Ipſius in mediæ glacialis frigore Brumæ
In lacubus, duce me, cum majeſtate rigentes.
Talibus ille: Simul cuncti muſſantque, fremuntque
Aſſenſu vario manes, & murmura miſcent.
Sic jam collectas exeſo in ſubere Paſtor
Dum veſtigat apes, & læta examina turbat,
Illæ indignantes pennis ſtrepitantibus intus
Confuſos geminant ſonitus, acuuntque tumultus.
Sunt qui crudeles animas, quæ talia mandant,
Crudeleſque, ſuis gelidis cum fontibus undas,
Quæque necant ægros, crudelia Balnea taxant.
At laudant alii magis, in primiſque (b) Britannus,
Nuper qui patriò ſcripſit ſermone libellum
Multa docens leges, antiquaque jura recludens,
Et conclamatos gelidis ſervaſſe lavacris
Innumeros jactans momento temporis ægros.
( ) Coſtæus, (d) Vanderque notant quot vulnera limphis
Siccaſſent gelidis, puròque in fonte lavaſſent:
Queis geminat plauſus Romano (e) Celſus ab ore;
(f) Divinique favent monumenta æterna Maronis.

 Hic

(a) *Hi regebant fata. Quum repente Civitatem Charmis ex eàdem Maſſilià invaſit, damnatis non ſolum prioribus Medicis, verum & balneis, frigidaque etiam hybernis algoribus lavari perſuaſit. Merſit ægros in lacus. Videbamus ſenes Conſulares uſque in oſtentationem rigentes. Seneca.*

(b) Ψυχρολουσία. Or the Hyſtory of cold Bathing., &c. c. h. e. Frigorum Balneorum Hiſtoria &. c. ædita a Dominis Hoyer, & Baynard, *in quà leges morbos fere omnes curatos balneis frigidis: ſunt enim anodyna, ſudorifera, diuretica, cephalica, febrifuga, antiſcorbutica, antiparalytica, & quid non? Invenies graviſſimorum morborum inexpectatas curationes, ope ipſorum Balneorum frigidorum.*

(c) *Joannes Coſtæus* lib. 1. de Potu in morbis.

(d) Hermannus Vander Heydem. in diſcurſu ſecundo de inauditis aquæ frigidæ effectibus.

(e) *Levis plaga juvatur, etiamſi ex aquà frigidà expreſſa ſpongia imponatur.* Cor. Celſ. lib. 5. cap. 26.

(f) *Interea Genitor Tyberini ad fluminis undam.*
Vulnera ſiccabat lymphis, corpuſque lavabat. Virgil. Æneid. lib. 10. verſ. 833.

Digitized by Google

Hic (*a*) tetanos ſolviſſe monet, convulſaque membra,
Hic (*b*) ſingultantem, ſupremaque fata cientem,
Et fermè extinctam memorat vixiſſe puellam
Amphora frigenti exundans terdena liquore,
Cui fundebat aquas, Coo mandante: tumebat
E bilis venter ſtimulis laceratus acutis,
Hiſtericuſque uterum dolor implacatus agebat.
(*c*) Ille docet Podagram: ſtrictis docet ille tumores
(*d*) Articulis leniſſe acres: Pars (*e*) viſcera morſu
Interius bilis narrat laniata, nivalis
(*f*) Externâ ſubito foviſſe aſpergine roris:
(*g*) Pars rapidos fluxus; tumidos pars ſanguinis æſtus
Repreſſiſſe refert, pedibuſque, oculiſque mederi:
(*h*) Pernio ſive illos, ſive hos (*i*) Ophtalmia lædat,
(*k*) Difficileſque alios gelidam devincere morbos.
Langius: hæc pota humentes exſiccat hydropes,

Ex-

(a) Ex Hip. de morbis lib. 3. *Aquam frigidam multam ſuperfundito, & poſtea veſtimenta tenuia, pura, ac calida ſuperintegito. Ignem autem tunc non adhibeto. Hoc auxilium & ad tetanos, & ad opiſthotonos adhibere oportet.*

(b) Ex Hip. *Mulier ſana, & craſſa a Catapotio conceptus gratià accepto, dolorem habebat ventris, & tormen in inteſtino, & intumuit. Spiritus autem ſiſtebatur, & deſperatio erat cum dolore: & ſanguinem vomit non multum, & emortua eſt quinquies, ut vità deceſſiſſe putaretur: & neque vomitu facto ab aquà frigidà laxabatur; neque dolor præſens, neque ſpiratio. Superfuſæ verò ſunt ipſi aquæ frigidæ amphoræ circiter triginta ſuper corpus, & hoc ſanè ſolùm prodeſſe videbatur: & poſtea deorſum proceſſit bilis multa: Cum autem dolor obtineret, nihil poterat ſecedere, & vixit.* lib. 5. de morbis Popularibus.

(c) *Vide* Liberatum de Liberatis in appendice Tractat. Podagr. at ex Hip. *Tumores autem in articulis, & dolores, abſque ulcere, & podagricos, & convulſiones, horum plurima frigida aqua largè effuſa levat, & extenuat, ſolvitque dolorem: nam modicus torpor dolorem ſolvit.* lib. 5. Aphor. 25.

(d) Lanzan. part. 2. cap. 26.

(e) Vide Celſum lib. 5. cap. 1. & cap. 26.

(f) Vide M. Aureli. Severin. lib. de Pern. cap. 10.

(g) Vide Lanzan. part. 2. cap. 25. meth. aq. frig.

(h) *Multi a dolore nephritico liberati ſunt potione aquæ gelidæ.* Mar. Potamat. de potu frigidæ cap. 1. *at* Galenus: *evacuato corpore, frigidam ſæpe copioſam exhibemus: ita enim renibus corroboratis, impactum lapidem expulere* lib. de ren. affect. cap. 4.

(i) Valles. Comment. in Epidem. Hip. lib. 5. Ægr. 6.

(k) Langius. medic. Epiſt. tom. 2. Epiſt. 2. *Item* SKench obſer. medic. tom. 2. & Jacob. Jodar. Aquæ frigidæ vindicatio.

Extinguitque ſitim; morbi nam cauſa fugatur
E' tubulis ſtabulans, atque unda impellitur unda;
Corruptuſque fugit fœdo de corpore languor.
Lithiaſim Marius querulam, atroceſque labores
Solvere cardiacos illam Valleſius addit.
(a) Mercurialis item ſiccum, exſanguemque Maraſmum
Irrorare ſero, maciemque expellere molli.
(b) Syphilis huic cedit veneris monimenta neſandæ,
(c) Profluitanſque acri Diabetes dira veneno
Ingeminat Jodarus: (d) Fœtum hæc præſervat acerbum,
Ne cadat ante diem: juſto dat fœmina partu.
Hàc facilis prolem (e), faciliſque puerpera fœdas
Expurgat ſordes uteri: laxatur ab illà
(f) Alvus dura nimis, quamvis perſæpe tumeſcat
Pharmaco ab epoto (g). Pallens fugit Icterus; Aſthma
Alta fugit ducens ſuſpiria: anhela Synanche,
Atque dolore latùs feriens Pleuritis acuto;
Et quæ pectoribus ſanies exæſtuat, & quæ
Murmurat undiſono ſubter præcordia fluctu
Atque tremens Pareſis, caſuque Epilepſia labens
Præcipiti, atque immota, & nullo Apopleſſia ſenſu
Torpeſcens, ſtimuloque Arthritis ſenſilis acri,
Cœliacuſque fugit languor; fugit aſpera morſu

Vis

(a) *Notandum multos eſſe, qui ad pinguefaciendum corpora laudant uſum aquæ frigidæ; & ego novi duos magnos Principes hoc uſu pinguefactos.* Mercur. lib. 1. de morb. Puer. Cap. 3.

(b) Vide Jacobum Jodarum (*aquæ frigidæ vindicatio*) pag. 42. 42.

(c) Bartol. de uſu nivis medico.

(d) Idem Jodarus aq. frig. vindic. p. 75. *Præclariſſima Duciſſa Cruyllas imminente abortu cum lumbor. atroci dolore, & pondere circa pubem; necnon Ictérica facta, ſola aquæ frigidæ uſu, nive etiam partibus appoſita, ab abortu ſe liberavit. Et rurſus eadem, cum parere non poſſet, frigidà epotà, & nive in manu habita, ſtatim peperit.*

(e) Vide Epiſt. Lanciſii ad Nicolaum Lanzanum. *Sed ex* Hippocrate: de Lariſſa uxore Georgiæ puerperà ſic, *ſitim autem habebat vehementem, & frigidiſſima aqua conferebat.*

(f) Vide Philippum Ingraſſia. Tract. de frigidæ potu poſt Purgans.

(g) Vide Catanenſem in lib. medicin. Hydroſtatico pag. 26. *In Ictero flavo, febri acutæ conjuncto, potus frigidæ ſummè laudandus; quia oritur a bile nimis ſalinà, ac proinde ab aquæ ſubſtantià ſalibus expleta præcipitatur &c.*

Vide Creſcentium Capite quarto (*Della medicina dell'acqua.*)

Digitized by Google

Vis Choleræ impatiens, quid non? Creſcentius inquit,
Quem juſtà ſtabat compar Lanzanius arte.
Dicere multa tamen cupientem, & multa parantem,
Occupat hunc ſurgens rugosâ fronte Galænus.
Quis furor, exclamat, quæ tanta protervia menti?
Eſt modus in morbis, nec ſemper legibus iiſdem,
Ordine nec ſemper, curàve levantur eàdem.
Non ætas eadem, regioque, habituſque locorum:
Non eadem ſemper cauſa eſt, aut terminus idem,
Et diverſa viget diverſo in corpore virtus,
Temperieſque ſuis diverſa humoribus hæret.
Nos gelidam quandoque etiam præſcripſimus, & nos
(a) Germanos ſcimus quondam, Cæltaſque feroces,
Et Rutulos, genus acre virùm, ſi credere fas eſt,
Ex utero natos geſtaſſe ad flumina primùm,
Et lymphis, acrique gelu duraſſe trementes.
Non ſecus ac ferrum candens cum mergitur undis,
Cernimus in duram chalybis concreſcere maſſam.
At quis tale nefas, niſi gens tam ſæva, patraſſet?
Quis, niſi mentis inops, tanta in diſcrimina pignus
Conjiciat proprium, mortem ſi parturit error,
Utile vel minimum? Subito nam frigore ceſſat
Ingenitus calor, aut ſi fors evaſerit infans,
Quid denſare cutim dubià ſub forte juvabit?
Arcadii pecudis dureſcant tergora tantùm:

Illius

(a) *Nam quis quæſo eorum hominum, qui apud nos degunt, tulerit modò editum Infantulum, etiam ab utero calentem, ad Flumen deferre, ibique (ſicuti de Germanis ajunt) ceu candens ſit ferrum, in frigidum humorem mergendo, ſimul de naturæ vigore periculum facere, ſimul corpus ipſum roborare? Quis igitur mentis compos, nec omnino ferus, Scythave, proprium pignus in id agere diſcrimen ſuſtineat, in quo errorem mors ſequitur; potiſſimum cum ex eo periculo non magnum ſit futurum quod lucrifaciet? Aſino enim fortaſſis utiliſſimum fuerit denſum ita tergus, durumque effici &c.* Galenus de ſanitate tuendâ lib. 1. cap. 10.—*Celtæ & Germani, matris pudicitiam exploraturi, infantes nuper editos in Rhenum frigidum, velut adulterii vindicem, mergebant, cujus vorticibus ſpurii ſuffocabantur. Legitimo verum thoro conceptos fluvius, intemeratæ pudicitiæ teſtis, tranquillo ſuſpendens alveo, in tremulas Genitricis manus ſubvehebat. Proh nefariam hominum fidem!* Strabo Geograph. lib. v.

De

Illius eſt uſus corii (*a*): quin frigida lædunt
Balnea creſcentes pueros (*b*); at corpore firmo
Hæc juvenis tentet, modò ſit tentare neceſſe:
Sit tranquilla dies, fervens cum cœperit æſtas:
Sint hylares animi: lento nec membra Veterno
Segnities maceret, nullove labore fatiſcant.
Sed non cunctanter, momento temporis uno
Inſiliat mergens ſe, ne ſuper ingruat horror,
Et cunctos circumfuſus ſimul abluat artus,
Non glacie ſimilis, tantùm ſed frigidus humor,
Nec tepidus; lotumque diu nec lympha moretur.
Sint præſtò tergant oleo qui membra miniſtri,
Quique fricent, donec tandem refricta caleſcant.
Sic validæ augentur vires, morbique fugantur:
Peſtis præcipuè: nam cum violentior æſtus
Extorret miſeros, febriſque invaſit acuta,
Si gelidos ſubeant ægri, mora nulla, liquores,
Abluiturque lues, viruſque abſtergitur undis;
Atque novas animas, nova flamina concipit aer,
Puraque ſervatur clauſis conclavibus aura.

Et

De Rutulis. ſic Numanus, cui cognomen Remulus, ſociatus minori Germanæ Turni.

..... Natos ad flumina primùm
Deferimus, ſævoque gelu duramus, & undis. Apud Virgil. lib. 9. verſ. 603. &c.

(a) *Ceterum optimum corpus, quod augeſcit, non eſt frigida lavandum, ne ejus incrementum moretur.* Galen. de ſanitate tuenda lib. 3. cap. 4.

(b) *Eſto, qui frigidà utetur, juvenis, & animo tum præſente, tum hilari. Eſto anni tempus æſtatis initium, quo videlicet ante hyemem in toto interpoſito tempore non ſpernenda conſuetudo, pariatur. Eſto præterea dies, quo auſpicabimur, quammaximè tranquillus, & quod id tempus feret, calidiſſimus &c. ab his in frigidam deſcendat, non tamen cunctanter, ſed celeriter, vel etiam ſemel totus inſiliat, ut uno maximè tempore omnibus corporis partibus humor circumfundatur: Quippe, cum ſi ſenſim his accedat, horrorem concitaturus ſit. Eſto verò & aqua nec tepida, nec planè cruda, & glacialis &c. Exeunti verò ab aquà, fricari oleo, idque a pluribus expedit, quod cutis ipſa incaleat.* Idem, ibidem.

Ex Celſo. Si verò ardens febris extorret, nulla medicamenti danda potio eſt, ſed in ipſis acceſſionibus oleo & aqua refrigerandus eſt, & conclavi tenendus, quò multum, & purum aerem trahere poſſit &c. De Febrib. Peſtilentia. lib. lib. 3. cap. 7.

Digitized by Google

Et gelida in putridis etiam potanda paretur;
(a) Ante tamen præſtat juſtâ perpendere lance,
Quid juvet, aut obſit: Febrim ſi nulla ſequatur
Cauſarum ſeries, damno ut ſit frigida, potet,
Aſſuetuſque magis ſitiens ſe proluat æger.
Sin contra, heu! gelidam fugiat, ceu ruſticus anguem,
Auxiliumque aliàs quærat, quo turgida ventris
Prodeat eluvies, obſtructaque vaſa pateſcant,
Viſque putris tandem febris violenta remittat.
Frigenti nec crudus aquâ, nec noxius humor
Concoquitur: Scyrrhos dureſcit: Phlegmona flagrat:
Creſcit Eryſipelas, turgentque Ædemate membra:
Et quandoque licet deſerveat arida Febris,
Perſtat adhuc latitans gelido compacta liquore
Materies, iterumque novus ſuccenditur æſtus,
Ardeſcitque magis. Vario diſcrimine quotquot
Humores ſtabulant, queis frigida læderet ægros?
Faucibus obſeſſis hic deglutire nequiret:
Hic eſſet ſtomacho crudus: Pulmonis anheli

Ille

(a) *Ad frigidam exhibendam accedenti diligenter ante diſcernendum eſt, quantum ex eâ nocumentum contingere poſſit; nam ſi id, aut exiguum erit, aut nullum, offerenda potui eſt, quantam ægro bibere libet: quin immo magis id audebis, ſi frigidæ potioni inſueverit. Sin magnum timetur incommodum, ab hâc quidem abſtinendum, atque aliis auxiliis, quibus obſtructio èximatur, et abundantia vacuetur, & febris fervor deſæviat, utendum. Porrò incommoda, quæ frigidam potionem intempeſtive, immodicè, æque exhibitam ſequuntur, in his conſiſtunt, quod lentos, multoſque humores, ſive hi obſtructiones, ſive putredinem, ſive phlegmonem, ſive qualis eryſipelas, aut ſcyrrus, aut œdema eſt, affectum creverit, attenuari, digerique prohibent. Ergo quoties ex his febris accenditur, atque ad eos evacuandos frigida data non conducit, ad præſens quidem non parum affert levamen, quod jam accenſam febrem extinguit: Verùm cum cauſa ejus adhuc perſtet, aliam denuò accendi eſt neceſſe, atque eâ, quæ præceſſit nonnunquam difficiliorem, propterea quod denſatum ex frigidâ corpus eſt. Atque hæc una noxæ ſpecies eſt, minimè contemnenda. Altera talis eſt: multæ laborantis imbecillæ particulæ a frigidâ læduntur; alii namque gula adeo vehementer eſt affecta, ut vix deglutiret; alii ventriculus ſic, ut vix concoqueret; alii ipſum ventriculi os, aut jecur, aut colon, aut pulmo, aut ſeptum tranſverſum, aut renes, aut veſica, aut tale quidpiam aliud a frigidâ percuſſum, ad proprium opus infirmum eſt redditum.* Galen. de Febribus putridis. method. Cap. V.

Ille laboraret vitio; huic veſica tumeret.
Huic jecur; huic colon; præſens diaphragmatis illi,
Aut renum munus perturbaretur; & iſte
Convulſus tremeret, nec reſpirare valeret;
Lædit enim nervos, & pectus frigida lædit.
(a) His animadverſis, quoniam contraria conſtat
Oppoſitis vinci, ardentem quoque frigida febrem
Vincet (b). Tunc verò detur potanda, libenter
Urinæ cum jam percoctus profluat humor,
Nullaque pars flammâ princeps accenſa laboret:
Atque magis, calor æſtivus, juvenilis & ætas
Si vigeat. Tempus verò cognoſcere multum eſt.
(c) Hectica namque poteſt, primis modo nota diebus,
Nec quicquam obſtet, tali ſub lege ſevari:
Tunc vires conſtant; ſanguis tunc multus abundat.
Unica ſunt vires certæ tutela ſalutis:
Quis valet effæto depellere corpore Febres?
Quis gelidâ cunctos nullo diſcrimine morbos?
Ah ſapiant quicumque velint medicamine tanto
Expoſitam dubiis vitam ſervare periclis!
Tum nutu ſenior compreſſit murmura Cous:
Conticuere omnes: placido ſic protinus ille

G Inci-

(a) *Quoniam omnis affectio corporis, quæ præter naturam eſt, a ſibi ipſi contrariis curari eſt oſtenſa; patet febrem quoque ipſam a frigida extinctam omnino iri, quando ipſa ſola fuerit ſine ullâ affectione, quæ a frigidâ lædatur.* Galen. lib. de Bonitate aquæ cap. 2. *Si igitur urinæ concoctæ ſint; ſimulque nulla pars principalis phlegmone vexetur, hæc ſatis erunt, ut ad frigidam dandam nos impellant.* Idem ibidem

(b) *Tanto magis ſi ætatis tempore vehementia febris aliquando urgeat, laboranſque juvenis ſit, ac frigidæ potioni aſſuetus &c.* idem ibidem.

(c) *Dictum eſt autem in primo de Febrium differentia libro, diariarum febrium quaſdam cum hecticarum genere communicare, primoque die non poſſe exquiſite cognoſci, ſed vel in ſecundo, vel omnino in tertio. Ac cum primum Cognitæ fuerint, aqua frigida ſibi ipſis danda eſt, quippe eo tempore eſt tutiſſima, cum & virtus valida ſit, & ſanguis in corpore copioſus contineatur; nam ubi febres moram traxerint, tunc & vires redduntur imbecilles, & ſanguis fit parvus.* Galen. de Marcore Cap. 1.

Digitized by Google

(*a*) Incipit ore loqui: Penitus ſubmittere morbos,
Morborumve graves iras obtundere ſaltem,
Hoc medicæ artis opus: ſpes nam cui nulla ſalutis,
Eſt ægrum curare nefas: (*b*) at doctus ab arte
Naturas, morbos, ætates, tempora noſcat,
Obſiſtatque malis; (*c*) ſignet præſentia: ſpectet
Præterita, atque animo confeſtim cuncta revolvat.
(*d*) Eſt etenim tempus quando eſt occaſio: at iſta
Tempus habet minimum *. Cauſas hoc indicat ergo
Pellere quamprimum morbi; (*e*) nam tollere præſtat
Omne ſupervacuum, præſtatque apponere contra
Quæ deſunt. Jugis hæc cunctorum cauſa malorum
Eſt magis, atque minus: Sed nec comprehendere fas eſt
(*f*) Quot varios habeant morbi nexuſque, modoſque;
Principium namque humano eſt in corpore nullum:
Omnia principium pariter ſunt; omnia finis.
Circulus his curſus alios, alioſque recurſus
Semper init, ſemperque alternis orbibus orbes,
Atque alios alii gignunt hoc ordine morbos.
(*g*) Humanus conſtat genus, & genus omne animantûm,
Igne

---

[a] *Et primum ſanè definiam quod ſentio, medicinam eſſe morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere, & eorum qui a morbis victi ſunt, curationem non aggredi.* Hip. lib. de arte num. 4.

(b) *In ſummà Medicum ſcire oportet opponere ſe contrarium inſtantibus & morbis, & naturis, & temporibus, & ætatibus.* Hip. lib. de naturà hominum num. 18.

(c) *Medici & præſentia conſiderent, & de præteritis ſimiliter juſta præſentia ratiocinentur.* Hip. de arte n. 11.

(d) *Tempus eſt, in quo occaſio eſt: occaſio verò, in quà tempus non multum.* lib. Præceptionum.

(e) *Et ideo medicina nihil aliud eſt, niſi appoſitio, & ablatio: ablatio quidem eorum, quæ excedunt: appoſitio verò eorum quæ deficiunt.* lib. de flatib.

(*) *Curationem itaque ipſorum inſtituere oportet, ut Cauſæ morbi nos opponamus.* De naturà hom. num. 25.

(f) *Mihi quidem videtur, principium corporis nullum eſſe, ſed omnia ſimiliter principium, & omnia finis. Circulo enim ſcripto, principium non reperitur. Similiter etiam morborum in toto corpore* &c. lib. de locis in hom. n. 1.

(g) *Conſtituuntur quidem igitur tum animantia alia omnia, tum homo ipſe ex duobus*

Igne, & aquà: eſt concors illis diſcordia, quando
Frigida conveniunt calidis, humentia ſiccis:
(a) Temperat ignis aquam, & ſimul hæc temperat ignem:
Ambobus vis æqua viget, viget æqua poteſtas.
(b) Cunctis cuncta movet ſemper penetralior ignis:
(c) Cunctis cuncta fluens nutrit ſimul humor aquai.
(d) Morborum verò, & vitæ, mortiſque ſupremus
Spiritus eſt cunctis ſemper mortalibus auctor.
Hinc magis, atque minus partes laxantur inertes.
(e) Horrent vel tenſæ. Peraget tamen omnia rectè
Qui denſat ſolers rara, & qui denſa relaxat,
(f) Quique ſimul moderatur aquam, moderator et ignem
(g) Frigida non ſemper, non ſemper fervida prodeſt;
Alternis verò, ratio cum poſtulat, uti,
Et tepidà quandoque etiam pro tempore, tutum eſt.
(h) Qui calidis fiunt expellit, frigida morbos;
Expellitque calens contra qui frigore fiunt.
(i) Frigida, ceu glacies, nervis nocet, oſſibus, atque
Dentibus, & cerebro, & ſpinæ quæ longa medulla

 Inſidet

bus differentibus quidem facultate, concordibus verò, & commodis uſu, igne inquam, et aquà

(a) *Habent autem inter ſe mutuo ignis ab aquà humiditatem; aqua verò ab igne ſiccitatem.*

(b) *Ignis enim omnia per omnia movere poteſt.*

(c) *Aqua verò omnia per omnia nutrire.* De dieta lib. 1.

(d) *Spiritus (hoc eſt aer) mortalibus, & morborum ægrotis ſolus eſt Auctor.* Lib. de flatib. num. 5.

(e) *Medicum ſcire oportet, & diſtendentia ſolvere, & ſoluta diſtendere.* De naturà hominis num. 18.

[f] *Hæc autem ambo ſimul ſufficientia ſunt tum aliis omnibus, tum mutuò ſibi ipſis.* De dieta lib. 1.

(g) *Harum porro utraque (hoc eſt calida & frigida) lædit, utraque prodeſt. Quandoque moderatio in utràque, ut in tepida.* vide quæ de humidorum uſu.

(h) *Atque ut breviter dicam, Contraria Contrariorum ſunt medicamina.* de flatib. num. 2.

(i) *Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ.* Aph. 18. lib. 5. *Frigida, qualis nix, & glacies, pectori inimica; Tuſſes movet, ſanguinis profluvium, & deſtillationes.* Aph. 24. lib. 5. *Ulceribus quidem frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, livorem inducit, rigores febriles, convulſiones, tetanos.* Aph. 20. lib. 5.

Digitized by Google

Inſidet, & validas potis eſt perrumpere venas;
Membraque convellit, tuſſeſque inducit anhelas.
Hinc cum Febre rigor, livorque exaſperat artus.
(*a*) Hic opus eſt calidà in morbis, quæ tenſa relaxat:
Attenuat, mollitque cutim, lenitque dolores,
Diſſolvitque graves, & fumiferas cephalæas.
Oſſibus infractis, quamvis nudata dehiſcant,
Præcipuè capitis, prodeſt: Apoſyrmata jungit:
Errantemque fugat, carnes qui turpis adedit
Herpes, & qui gingivas, aureſque melaſmos
Infeſtat, nigratque uterum, ſedemque moleſtus.
Quin oculis etiam, lacrymiſque medetur amaris:
Quæ ſuppurantur ſenſim, lenitque, fovetque:
Cunctaque præterea, quæ fiunt arida, mollit:
(*b*) Sed nocet ipſa tamen, ratio ſi provida deſit:
Debilitat vires animæ, infirmatque vigorem
Carnibus, et nervis, venaſque recludit inertes,
Effœtumque ciet reſerato fonte cruorem;
Deficiuntque animi, mortiſque ſupervenit horror.
(*c*) His, denſat quæ rara, juvat ſed frigida morbis.
Enerves firmat tubulos, nimiùmque fluentes
Sanguineos cohibet latices, flammaſque futuras,
Si quà ſuccendi certant, compeſcit & æſtus

Purpu-

(a) *Calida ſuppuratoria eſt, non in omni ulcere, maximum ſignum ad ſecuritatem, cutem mollit, attenuat, dolorem eximit, rigores, convulſiones, capitis gravitatem ſolvit: plurimum autem conducit oſſium fracturis; magis autem denudatis, & ex his maxime his, qui in capite vulnera habent: Itemque in ulcerationibus, qualia ſunt deſquamata: herpetibus ſerpendo adedentibus, denigratis aut in gingivis, aut in aure, aut in ſede, aut utero. His omnibus calida amica eſt, ac judicatoria. Calida oculis convenit doloribus, ſuppurationibus, lacrymis, mordacibus, ſiccis omnibus,* De humidorum uſu.
(b) *Calidum ubi quis ſæpius eo utitur, hæc mala affert, Carnis effeminationem, nervorum imbecillitatem, mentis torporem, profluvia ſanguinis, animi defectionem: quibus mors ſuccedit.* Aph. 17. lib. 5.
(c) *In his frigido eſt utendum, unde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, non ad ipſa admoto, ſed circa ea, unde influit, & ubicumque inflammationes, aut veluti incendia quedam ad rubrum, & floridum, ſanguine recenti, tendunt, iis ipſis admoto. Eryſipelas etiam non ulceratum juvat,* Aph. 23. lib. 5.

Purpureos, bullaſque cutim queis ecthyma pingit.
Et non exeſis admota tumoribus omnes
Sanguinis accenſi quos gignit phlegmona, ſedat.
(a) At pota in Febribus, bilis dum fervida ſævit
(Bilis enim Febribus præſertim ſuſcitat ignem)
Sola poteſt acres per ſe reſtinguere flammas.
Cætera quid memorem? præſens medicamen, & ingens
Eſt aqua: Præſens ingenium, magnumque repoſcit.
Sat, Podaliri, hæc nunc veſtigia parva ſagaci
Sunt tibi, queis tutum poteris cognoſcere callem,
Atque novas uſu meditando excudere leges.
Sic canis in latebris ſua per veſtigia tandem
Sedulus inquiritque feras, reperitque latentes.
Hic fandi jam finis erat, cum feſſus ab ævo
(b) Sic Mutinenſis ait clamans Davinus: adeſte,
Atque Seni juſtas fas ſit proferre querelas.
O quid aquæ tantum? Debetur maxima vino
Gloria, ſed calido: calidum certiſſima vinum
Eſt medicina ægris; ſanos præſervat, & arcta
Labentis tacitè producit tempora vitæ.
An quicquam in terris tali ſit munere majus,
Cæleſtes homini quod conceſsere benigni?
Credite (c): certa fides factis: qui tempore longo
Viſcera, ventriculumque graves torſere dolores;
Quodque diù aſthma furens, ſtrepitans & anhelitus oris
Diſſultantem animam, & ſuſpiria crebra trahentem
Vexabant: pallens macies obducta per artus:

Pecto-

(a) *Febres plurima a bile fiunt.* De natura hominis 27. *Si bile infeſtatur homo, Febris ipſam corripit &c. In his Febribus aquam frigidam quantum æger bibere volet, dabis &c. reliquo verò tempore aquam frigidiſſimam bibat &c.* De morbis lib. 2. (Febres a bile) num. 44.

(b) Johannes Baptiſta Davini Sereniſſimi Raynaldi; Mutinæ, Regii, Mirandulæ &c. Medicus. De potu vini calidi.

(c) *Hiſtoriam ſæviſſimi doloris ventriculi, & inteſtinorum, quo vexabatur D. Simon Tamburinus Frater Reverendiſſimi Patris Michaelis Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu, lege in libello de Potu vini calidi, ſicuti morborum reliquorum, de quibus hic fit mentio.*

Pectoris oppreſſi ſtillans, & frigidus humor:
Quin etiam Febres repetitis nectaris hujus
Hauſtibus, extinctæ tenues abiere per auras.
Nec mirùm: cocto ceſſant cum fomite febres,
Cumque foras coctus febrilis ducitur humor,
Quid præſtare magis poterit tot commoda, vini
Quam latices calidi? quoties per corpora rivis
Sudor iit, fugitque Febris per tempora quæque
Morbi? tum craſſam ventris detergere lympham,
Et ſolidaſſe valet fibras, queis concoquat eſcam,
Cum liquor hic calidus bibitur: nam ſpiritus igne
Sulphuris, atque ſalis flagrans aperire ciborum
Conatur nexus, ſtimuloſque adjungere villis,
Conterat ut ſtomachus diſtracta alimenta potenter.
Hinc bona chyloſis: partes hinc corporis omnes
Nutriri rectè: minui quæ pectora mordet
Materies ſtimulans: morbi tum cedere cauſa
Incipit, & ſano creſcunt in corpore vires,
Vitaque protrahitur, fortiſque, valenſque ſenectus
Enumerat ſeros ſemper ſapientior annos.
Sæpè mero priſci virtus caluiſſe Catonis
Narratur: quin tarda licet, tamen excolitur mens
Sæpe mero: ſegnes igitur moderamine juſto
Vina bibant ægri: rebibant ſed vina valentes.
Perbibe dulcis amor noſter quoque * vina, Johannes,
Quæ feſſas recreent vires: noctesque dieſque
Tu rerum ſolers cauſas ſcrutaris, & aſtra:
Tu ſuper aſtra levis ſublimi mente, animoque
Tolleris, & taciti reſeras penetralia Cœli.
Tu ſummum propriâ ſpectas in ſede Tonantem,
Æternoque novum exhauris de lumine lumen,
Æternoſque ſonos captas, æternaque verba.
Quid mirum ſi tanta tuis ſtat gratia dictis,

Et de-

(*) *Johannes Barba Epiſcopus Butuntinus, Vir omnium ſcientiarum genere apprime imbutus, amicus quondam noſter humaniſſimus.*

Et decor, & pondus? Patriæ ſeu gaudia narras
Ethereæ, dioque animos incendis amore:
Seu cæcas Herebi ſedes, & triſtia Regna
Commemoras, ſonteſque feris terroribus imples,
Nil mortale ſonas. Igitur dulciſſime rerum
Vive Deo, nobiſque, & longo tempore vive.
Sed jam Concilium, veniam Podalirius orans,
Deſerit, & fidus vario ſermone ſodalis
Proſequitur reducem, portàque educit eburnà.
Ille novas leges, unde experientia cœpit
Læthiferos gelidà, calidàque evincere morbos,
Condidit, & noſtri pars eſt hæc Tertia cœpti.

Finis Secundi Libri.

DE

Digitized by Google

Digitized by Google

DE HYDROPOSIA

SEU DE POTU AQUÆ IN MORBIS

LIBER TERTIUS.

Protinus inventas, Divûm nova munera, leges:
Nec non quæ morbis ſit aquâ nova cura fugandis,
Exequar. Hanc noſtræ decus immortale Camenæ,
O Franciſce, precor, medicam quoque reſpice partem.
Nam genus, & numerum, moreſque, & ſigna malorum,
Quæ variæ generant variò diſcrimine Febres,
Et puri laticis vires, & tempora dicam,
Queis bibat æger aquas, & qua ſint lege bibendæ.
Magnum opus aggredior: victis ſed gloria morbis
Magna etiam. Per dura juvat, per confraga rerum,
Difficilem tentare viam, arcanoſque receſſus.
Tum fati jam victor ego, Sebete, ſuperbam
Pyramidem, auguſtam, ingentem de marmore ponam

Propter aquam, clarus liquidis ubi flexibus erras.
BORBONIDES CAROLUS faſtigia ſumma tenebit.
Illi dona feram medico ſuccinctus amictu,
Qui nobis pacem poſitis generoſior armis
Reſtituit, Regnoque decus: quo ſoſpite magnas
Copia fundit opes: artes renovantur honeſtæ;
Erudiuntque hominum mentes; & quicquid ubique
Dividitur, ſparſumque nitet præclarius, unà
Clauditur ægregià totum Sirenis in urbe.
Otia præcipuè nullo turbata tumultu,
Alliciunt Vates; quorum ſpirantia ſigna
Æternum Regi circum longo ordine plaudent.
Hic Phœbo ſimilis cytharam cum pulſat eburnam,
Quo ſua jura tenent Regni ſub vindice leges,
(a) Tanucides, duplici redimitus tempora ſerto,
Stabit, & ingenio conſors (b) Aurelius illic
Varghiadeſque (c) ſimul titulis generoſus avitis
Grande decus Muſarum, ingens & Gloria juris.
Stabit qui linguas, & ſancta oracula ſentit,
Sacra canens, hominum, Divûmque interpres Alexis. (d)
Sergiades, (e) ſtabit quo non præſtantior alter,
Seu juvat arguta modulari carmina voce,
Qua chelis invitat, lituique, tubæque canentem;
Seu cauſas orare foro, dicentis ab ore,
Pendet ubi ſapiens ſtupefacta corona virorum.
Tuque (f) Cyrilliades docto cultiſſimus ore
Qui Leges, qui Jura doces, qui mente ſagaci

Quid-

(a) *Bernardus Tanuccius Caroli Borbonii Regis Neapolitani a ſecretis, literarum omnium ſcientiſſimus, ac Juriſconſultus eximius.*

(b) *Joſeph Aurelius de Januario, Poetarum, & Juriſconſultorum facilè Princeps.*

(c) *Eques Franciſcus Vargas Macciucca, genere, virtute, ſcientia ſatis clarus.*

(d) *Alexius Symmachus Mazzocchius Metrop. Eccleſia Neap. Canonicus, Regiuſque Sacræ Scripturæ, & linguæ S. Profeſſor, ac vates.*

(e) *Johannes Antonius Sergius omnium literarum ſcientià imbutus, orator, ac vates inſignis.*

(f) *Joſeph Cyrillus eloquentiſſimus Juriſperitus præſignis ſcientiarum omnium Cultor; & Nicolaus de Martino, in Regià Neapolitanâ Univerſitate doctiſſimus Mathem. Profeſ.*

Quidquid ubique latet clarà ratione recludis.
Tuque Syracuſio ſimilis, Martine, magiſtro,
Qui ſcribis tenues arcanà Lege figuras,
Et Terras, tractuſque Maris metiris, & Aſtra.
Nec te prætereaam, dicendi clarus ad artem
Qui me formaſti juvenem, quoque maxima Pindi
O lux (a) Bottiade: ſunt (b) Fontanalia curæ
Et Phœbo, & Muſis ſic, ut tua cætera curant.
Addam qui Pelagique vias, Piſceſque natantes,
Armaque, Bellantumque heroo carmine leges
(c) Parthenius cecinit quondam par omnibus idem.
Fulgebis medios (d) Lodoix nitidiſſimus inter,
Et tecum tua qui ſignat veſtigia (e) Fælix.
(f) Eulaliuſque leget plantas, herbaſq; virentes,
Inarimeſque ægris recludet fontibus undas
Ingens (g) Eucherius non inferiora ſequutus.
Quos victi circum morbi, Febreſque jacebunt,
Horrendumque fremet poſitis Libitina ſagittis.
At prius æger aquas morbo perculſus acuto
Quam potet, cauto ſunt multa notanda medenti.
Sic Dux multa notat jam proceſſurus in hoſtes:
Arma, viroſque legit: colles, clivoſque ſupinos
Occupat: & campos oculis metitur apertos:
Exploratque vias omnes, & furta requirit:
Nec temerè arma movet, temerè nec prælia miſcet.

H 2 Quin

(a) *Johannes Baptiſta Rotti Societati Jeſu cultiſſimus elegiarum Scriptor.*
(b) *Fontanalia. Ejuſdem elegia de Fontibus Neapolis, vicinorumque locorum inſignioribus.*
(c) *Nicolaus Parthenius Giannettaſius Societatis Jeſu ſcripit Piſcatoriam, Nauticam, Halieuticam, & Bellicorum lib. XV.*
(d) *Dominicus Ludovici ejuſdem Societatis nitidiſſimus Elegiographus.*
(e) *Felix de Deo ejuſdem Societatis elegiarum etiam Scriptor egregius.*
(f) *Franciſcus Eulalius Savaſtanus ejuſdem Societatis ſcripſit Botanicorum, ſeu Inſtitutionum rei herbariæ libr. IV.*
(g) *Camillus Eucherius de Quintiis ſcripſit Inarimen, ſeu de Balneis Pithecuſarum lib. V.*

Digitized by Google

Quin etiam pugnæ tempus, momentaque ſignat.
Ergo paretur aqua in primis puriſſima ſemper:
Mixta nocet, nulloque ſinit medicamine tingi. (a)
Sed quid amygdaleum dicam qui jungere ſuccum
Imperat? Hæc ſecum contraria corpora pugnant.
Nauſea ventriculum triſtis, vomituſque laceſſit:
Viſcera turbantur: turbatur noxius humor.
Pars tamen egeritur, dices, quæ cauſa malorum eſt.
Sed quæ perſtat adhuc, magno exagitata tumultu,
Impete fertur aquæ rapido, maculatque cruorem,
Rurſus & accenſæ gliſcit violentia Febris.
Si qua movere licet, primis moviſſe diebus
Profuit; at ſolum poſthac aperire canales
Cura ſit urinæ: Præceps decurſus aquarum
Cum ſemel in patulam Veſicæ tranſtulit alvum
Sanguinis illuviem, rurſus maculare cruorem
Illa nequit, ſemper foras educitur illinc.
Quid qui vel nitrum miſcet, vel tartara? fluxus
Hic etiam, vomituſque ciet, turbatque liquores.
Quid qui, ne morbo ſuccumbat debilis æger,
Expreſſos carnis ſuccos ſuperaddere certat?
Sanguineoſque iterum latices, & viſcera fœdat?
Quique cucurbitulis vexat, pungitque ſinapi,
Cantharidumque cutem ſtimulis diſcerpit acutis,
Præſertim febris vigeat ſi fervidus æſtus?
Hæc quandoq; juvant, lentò cum torpida motu
Fibra ſtupet: juſtà pendes tamen omnia lance,
Ne ſtimulis uretra magis criſpata, reportet
Aut tenues clauſo, aut nullos, ſphinctere liquores (b).
Sunt qui tempus aquæ dicunt tunc eſſe bibendæ,
Urinæ incipiunt coctæ cum ſigna videri.

Sed

(a) *Aqua exhibenda eſt ægris potabilis, & pura.* Hip. de Medico. 16. 3. *Item aquam Cœleſtem ipſam perſeipſam præbe.*
(b) *Sphincter, σφιγκτηρ, quaſi conſtrictor, dicitur de Muſculis meatum aliquem occludentibus: ut muſculus Sphincter ani, & veſicæ urinariæ.* Barth. lib. 1. an. C. 11. & 20.

Digitized by Google

Sed bis, terve bibat tantùm, non amplius æger,
Promoveatque criſim; facilis mox cura ſequetur
Sponte ſuâ: Scelus eſt aqueæ damnare dietæ
Immeritos. Ingens ergo cum concipit iras
Ingentes morbus, momentum grande bibendi
Illud erit, multàque luem ſubmergere limphâ.
Parce (*a*) Paroxyſmis: reliquo poſt tempore tutum eſt,
Creſcit ubi febris, plenos haurire trientes;
Tunc etenim ſanguis majori fluctuat æſtu,
Et permixtus aquæ fibras dum concitat omnes,
Conterit impatiens crudos, tenuatque liquores,
Perque ſuos tandem ductus detrudit apertos.
Si mora longa tamen magnis acceſſibus obſtet,
Quattuor exactis ægrotus potet ab horis.
Si redeat, varietque vices acceſſio crebras,
Præcipuè ſævit febris cum ſorte maligna,
Nil lentus titubes, ſed contra audentior ibis;
Morboſas etenim ſordes repetitus aquarum
Impetus exagitat lentas, ſolvitque tenaces:
Detergitque vias curſu, reſeratque citatò.
Et nunc non eadem veterum præſagia conſtant
In Morbis: variant vario diſcrimine curæ.
Qui pinguis quondam (*b*) ſudor, qui frigidus, & qui
Vitales ſolvens ſuccos jam proxima mortis
Signa dabat, gelidâ tandem cohibetur ab undâ;
Exhauſtique iterum tubuli replentur, & acres
Dulceſcunt ſalium partes, vireſque novantur,
Singultus (*c*) etiam per ſe nec triſtia monſtrant.
Spiri-

(a) *Paroxyſmus, παροξυσμοι, exacerbatio, acceſſio, invaſio dicitur: Eſtque tempus morbi vehementius, in quo cauſa morbifica validiſſime vires ſuas exerit per ſymptomata graviora, aut copioſiora.*

(b) *Sudores peſſimi ſunt frigidi, & tantùm circa Caput, & faciem oborientes, & circa cervicem. Hi enim cum acuta quidem febre, mortem præſignificant: Cum mitiore vero, longitudinem morbi. Et qui per totum Corpus fiunt, ſimiliter ſignificant his, qui circa Caput.* Hip. Prænotion. num. 5.

(c) *Convulſio fit aut a repletione, aut evacuatione. Sic autem & Singultus.* Hip. Aphor. XXXIX, Sect. VI.

Spiritus ex ipſo. vel enim compreſſus aquarum
Rumpitur incurſu; mordax vel noxius humor,
Dum purâ abluitur limphâ, properuſque movetur,
Exagitat minimas diaphragmatis undique fibras:
Muſculus a ſtimulis duplex intenditur actus,
Propellitque frequens incluſas aeris auras:
Impete tunc tanto colliſus proſilit aer,
Perruptoſque ciet ſonitus, aureſque fatigat.
Aſt ictus contra venæ, qui firmior olim
Certa ſalutis erat ſpes, nunc eſt alter ab illo.
Ipſa poteſt validos fluitans aqua reddere pulſus.
Et ſua fata manent ægros, modo vivida virtus
Naturæ deſit, gelidæ ſi palpitet hauſtu:
Vena tremens, parvoſque micet non æqua per ictus,
Vis tamen interior vigeat, nil triſte timendum:
Paulatim clauſos recludit pura canales
Limpha fluens, ſordeſque lavat, curſumque cruoris
Promovet, & ſaliunt venæ mox pulſibus æquis:
Argumentum ingens morbi, ſuffuſa rubore,
Ni bibat æger aquam, ſi quando urina videtur.
At ſi continuo, potâque rubeſcat ab undâ,
Arenteſque ſitis fauces violenta perurat,
Semper alit monſtrum hoc mortem exitiale propinquam.
Nec minus in Febribus, venter ſi forte tumeſcat,
Seu durus doleat, caſus non ſemper acerbos
Indicat ex ſe ſe: latices ſi talia gignant,
Deficiatque rubens paulatim urina, citato
Mors pede certa ſubit. Fas eſt ſperare ſalutem
Cum potat nimiùm, & nimiùm cum mictitat æger.
Sic alvi fluxus alias, qui tempore quovis
Subſidio eſſe ſolent, variaſque expellere febres,
Febres producunt ſemper, vel certius, ut cum
Urina elicitur tenuis, vel pauca bibendo.
Concreti perſæpe etiam, toſtique cruoris
Particulas ſummo (a) Cauſodes dejicit æſtu

Jam

(a) *Cauſodes.* καυσώδης *qui Febri ardente laborat, quæ Febris eſt ſpecies continua*

Jam moriturus: aquæ potus diſcrimine tanto
Extinguit flammas facilis, vitamque tuetur.
Nunc perimunt ægros pravi, vomituſque maligni,
Cum bibitur, rurſumque foras protruditur unda,
Aſt aliâ ratione tamen ſuccurrere vitæ
Interdum poterant dubiæ. Præſciſcere præſtat
Fata ſequi, potum ſi fortè ſequatur aquarum,
Flammatis cerebri fibris, inſana (a) phrenitis;
Quæ ſi cœpta prius, gelidæ vaneſcat ab hauſtu,
Læta notat, flammæque leves, æſtuſque recedunt.
Excuſſiſſe etiam veſanum ſæpe (b) ſoporem
Frigida lympha ſolet, lentos, cœcoſque canales
Si modo tendat agens ſtimulis, fluitanſque recludat:
Sin contra, dormitantem mors opprimit ægrum.
Tuſſis acerba diu quatiens ſi pectus anhelum
Poſſe neget latices vix deglutire bibentem,
Triſtia portendit: fragiles ne frigida lædat,
Conſule, pulmones, poterit quoque gignere tuſſim.
Uſus aquæ nimius, poterit ſi venter abundet
Sordibus: hæc per ſe tuſſis non læva videtur,
Attamen in cunctis ſemper mala peſſima morbis
Difficilis notat, & perruptus anhelitus oris.
His animadverſis, ratio non una medendi
Cum ſit, morborum cauſas, & ſigna docebo.
Sæpe homines tentant Febres, ubi noxius aer
Sanguineos fœdat latices; tunc ſpiritus ardens
Impete præcipiti fertur, membriſque calorem
Excitat ingentem: celeri ſalit icta cruore
Vena frequens, oculique ardent, & pectus anhelat.

Arida

tinuæ acutæ cum æſtu vehementiori, aliiſque ſymptomatibus inſigniorem ſanguinis phlogoſim, & incendium arguentibus &c.

(a) *Phrenitis φρενῖτις hic ſumitur pro delirio vehementiori cum Febre acuta, pervigilio, furore, clamoribus, aliiſque gravioribus ſymptomatibus, proveniente ab inflammatione meningum Cerebri &c.*

[b] *Sopor. ὕπνος eſt delatio in ſomnum, cum vigilare ægri nequeunt, non apertos habentes oculos, ſed conniventes, & alto ſomno detinentur.*

Digitized by Google

Arida lingua ſitim rapido ſuccendit in æſtu:
Atque urina rubet, vivæque ſimillima flammæ:
Præcipue nutat; depreſſo pondere, cervix
Jam gravis, & triſtes ſerpunt per viſcera vermes;
Aeriæ quorum volitantia ſemina ſecum
Exportant auræ; putris Cacochymia quippe,
Crudaque viſceribus ſtabulat. Mihi ſive per alvum,
Sive ſtatim vomitu culpam deterge, priuſquam
Inficiat magis illuvies corrupta cruorem.
Nil anceps timeas, quamvis vetet arida lingua,
Dummodo vitales non urat phlegmona partes:
Tunc etenim feries ſalientem ſanguine venam,
Educeſque foras leni medicamine ſordes.
Hæc te Verniades (a) doceat. Præſtantior alter
Nemo ſacras condit leges, queis, ſanguine miſſo,
Enormes quamvis, morbi ſubiguntur acuti
Ille per ora virûm toto laudatur in orbe,
Et ſua laudabunt ſeri monimenta nepotes.
Aer quam generat febrem, non parva; frequenter
Italiæ Cœli tractu graſſatur, at oris,
Roma, tuis, Sirenque, tuis vel ſæpius; audax
Si quis tentat iter, rapidus cum Sirius ardet,
Autumnive gravis per tempora. Solis ab æſtu
Tum magis exhalat morboſas fœta fodinis
Particulas Tellus: varii quot moris abundant
Halitibus late triſtes, ſævæque fodinæ.
Stagnantes his adde lacus, his adde paludes,
Thermaleſque graves undas, putreſque mephites.
Quid mirum tantis maculatus ſordibus aer
Tantas ſi gignat febres? audentior ergo
Principiis obſtat: Præſtat minuiſſe malorum,
Ut fieri poterit, cauſam: mox potus aquarum
Uno perficiet cœptam non ordine curam,

Sæpe

(a) *Vide opus eximium Joannis Baptiſtæ Verna Lancianenſis* (Princeps medicaminum omnium Phlebotomia.)

Sæpe moram febris iſta ſolet producere longam:
Abſtineat primis ideo potare diebus,
Ut valeat, dum tempus erit, non ſegnior æger.
Atſi continuò incipiat crudeſcere morbus,
Effrænisque ſtatim rapidam intentare ruinam,
Rumpe moras, feſtinus aquas, jugiſque miniſtra:
Et ſemper multæ, ſemper gelidæque bibantur;
Nam calidæ, modicæque nocent, remorantur, & ipſas
Accumulant ſordes: plenis juvat hauſtibus unà
Conterere impactam, & ſævi detergere morbi
Ingentem illuviem: veluti cum lurida Peſtis
Graſſatur, tenuis veniens e nubibus imber
Aerias magis infeſtas contaminat auras:
At qui præruptus, denſiſque nigerrimus auſtris
Irruit actus aquis, penitus contagia purgat;
Nec cœnoſa minus mundantur ſtrata viarum,
Non intermiſſis nimbus ſi defluat undis.
Ergo volens, æquis ſpatiis, algentis in horas,
Vel renuens quamvis, phialam tamen ebibat æger.
Interdum clauſis nequit acta canalibus ire
Limpha, licet primis fœdos terſiſſe canales
Temporibus curæ fuerit, tot viſcera abundant
Sordibus; idcirco gelidæ interrumpere potum
Expedit, & rurſus multà prudentior arte
Cænoſam deterge luem, tubuloſque reclude
Obſtructos, gelidamque iterum largire bibendam;
Ante nec abſiſtas, potæ quam videris eſſe
Urinas limphæ ſimiles. Tum detrahe ſenſim
Inviſos, tandem pacatà febre, liquores.
Eſt ſpecies quædam febris, dixere malignam:
Mille dolos mendax nectit, fallitque medentes
Subdola: venarum pulſus bonus eſſe videtur,
Urinæque bonæ: maculis purgata ſalutem
Lingua notat certam: nullus dolor occupat artus:
Mens ſolers conſtat (*a*); morti tamen occubat æger.

I   Sic

(a) *Hoc eſt Effatum illud Arabum: Pulſus bonus, Urina bona, & Æger tendit ad interitum.*

Sic Herebo genitore ſata, & crudelibus umbris,
Formam fraus præſtans, oculos demiſſa modeſtos,
Dulcis cui reſidet ficto permixta lepore
Gratia, cum dulces diffundit ab ore loquelas,
Abſcondit tacitum ſævo ſub pectore virus,
Et miſerè incautos inopinà morte trucidat.
Sed non, ut tantum valeas cognoſcere morbum,
Signa tamen deſunt tibi: qui bonus eſſe videtur
Venarum pulſus, lento concreſcere motu
Sanguineos monſtrat latices. hinc ſanguine ſtillat
Concreſcente liquor tenuis, claræque niteſcunt
Urinæ, tenuiſque liquor non ſordibus ullis
Commaculat linguam: ſtimulis nec ſanguis acutis
Concreſcens pungit fibras, torquetque dolore:
Nec mentem turbat: ſudor ſed frigidus artus
Debilitat ſegnes: mollis, parvoſque per ictus
Vena ſalit: deſes ſubitam affectare quietem,
Ingemere, & nullam gemitus cognoſcere cauſam
Incipit; in pejus, ſigniſque patentibus æger
Mox ruit, & rapidæ, concreto ſanguine, morti
Succumbit. Semper verò non fraudibus inſtat:
Indiciis quandoque febris ſe prodit apertis
Iſta tamen: modò membra calent: modò languida frigent:
Senſus hebet: pallet facies: & lingua nigreſcit:
Sponte ſuâ longo clauduntur lumina ſomno:
Sudore algenti mollem exanthemata pellem
Livida deturpant; laſſataque membra fatiſcunt.
Concreſcentis item hæc ſunt argumenta cruoris.
Materies ergo cruda, indigeſtaque venas
Infarcit primùm, quæ non a ſanguine pulſant.
(Pulſantes etenim quicquam remorarier obſtant)
Siſtitur infarctus paulatim ſanguis: inanes
Nec cordis replet ductùs: hinc debilis ictu
Vena micat: Series eſt hinc memorata malorum.
Sola tamen poterit tantas aqua vincere febres:
Deficientis enim illa vices in corde cruoris
Supplet, & augentur niſus: augentur & ictus

Vena-

Venarum, ſanguiſque fluit jam promptior: illa
Circuitu longo fœdam ſorbetque, trahitque
Materiem, tubuliſque foras educit apertis;
Tantaque continuò ceſſant in corpore monſtra.
Sed juvat hìc nimiùm gelida, atque profuſior unda;
Et quantum poterit, bis terve bibatur in horas.
Concipiunt gelidam frigentia membra calorem:
Spiramenta cutis denſantur laſſa rigore.
Et nive ſæpe cutim contritâ aſpergere prodeſt;
Vitaleſque auræ dum ſic ſervantur, inertes
Sanguineos agitant latices, reſoventque calorem,
Quique deeſt fluxus, renovat mox largior unda.
Continuas febres reliquas nunc ordine dicam.
Servat conſtantem, nec creſcens, uſque tenorem,
Et nec decreſcens, Grajis (a) Acmaſtica febris.
Cruda etenim morboſa lues permixta cruori,
Sive nimis dura, aut viſco illaqueata tenaci,
Nil ſubigi, minuique valet, crebriſque reſiſtit
Ictibus: aut cœtu poterit quæ libera ferri,
Suppletur ſubito, & rurſus ſtat ſumma refecta.
Perpetuò hìc multà, & gelidà diſſolvere tales,
Et mollire juvat ſordes: ſic nexibus illæ
Jam factis, fluidæque valent frigentibus undis
Sorberi, educique ſimul: Jam limpida tingi
Incipit urina, & paſſim decreſcere Febris.
Tu ne cede: frequens gelidos largire liquores,
Urinas iterum donec clareſcere cernes,
Extractiſque graves extingui ſordibus æſtus.
Si verò ſudor per laxa foramina tetrum
Educit vitium, & morbus vaneſcit acutus,
Parce fatigatos torquere liquoribus ægros.

I 2 At

(a) *Acmaſticos. ἀκμάστικος. Epitheton Febris, quæ & Homotenos. ὁμότονος: dicitur ſinodii ſpecies, quæ ſimilem ſervando efferveſcentiam continuam, ab finem uſque terminatur.*

Digitized by Google

At quæ continuò Febris (a) Epacmaſtica creſcit,
Fomitis ingentem ſtabulari monſtrat acervum
Viſceribus, ſemperque novas maculare cruorem
Sordes, & nullas maculato e ſanguine duci.
Dejice principiò forti medicamine ſævam
Luxuriem humorum; prohibet nam turgidus humor
Per cæcos gelidam ductus fluitare frequentem:
Nec tamen (hæc cum ſint cauto perfecta labore,
Temporibuſque ſtatim primis) nil ſordida labes,
Quæ perſiſtit adhuc gelido permixta liquore,
Officit, ante ſibi ductus quam lympha recludat,
Sæpe etiam per ſe certè nocuiſſe videtur:
Sæpe etiam timidos fallit: tu pectore forti
Perge, juvat: tandem præſens influxus aquarum
Vincet iter durum, curſuque urina citato
Extrahet illuviem. Ventris quandoque fluores
Evenient; at aquas prudens tunc trade bibendas
Temporis æquatis ſpatiis: diſtracta per ambas
Urinæ, ventriſque vias mox copia labis
Turbatur, rurſuſque poteſt fœdare cruorem
Permixta, & rurſus cæptum interrumpere curſum.
Decreſcens (b) ſemper Febris nil talia poſcit:
Materies etenim parva ipſo abſumitur æſtu,
Nec ſinit epotæ diſpergi fluctibus undæ.
Algida (c) quam dicunt Febrem, creat uſque moleſtum
Frigus; ubi fibras acidus liquor undique vellit;
Et laqueis bilem pituita involvit inertem.
Aſt acidus cum bile liquor dum prœlia miſcet,
Ille ſimul frigus gignit, ſimul iſta calorem,
Et paribus ſemper ſi ſic concurritur armis,

Epia-

(a) *Epacmaſtica.* ἐπακμάστικοι σύνοχοι *appellatur, quando Febris continuò creſcendo procedit.*

(b) Παρακμαστικοι. *Paracmaſtica Febris, quæ decreſcendo movetur.* Vide Galen. L. 9. meth. med. C. 4.

(c) *Febris algida originem trahit a ſucco Pancreatico acidiori, & Pituitæ ſatis copioſæ, ac viſcidæ, juncto, bile interim exiſtente valde inerte:* Vid. Sylvium de Lebœ cap. XXX. n. 95.

Epialam (*a*) generant. Calidos magis algida potùs
Poſtulat, ut pinguis valeat pituita reſolvi,
Elutiſque acidi ſtimulis, calor occupet artùs,
Crudaque materies tandem concocta vaporet.
Epialæ quandoque calens, quandoque medetur
Frigida, pro variis naturæ moribus, & pro
Sanguinei laticis vario conamine: Bilis
Si magis exuperet nativa in corpore, præbe
Tunc gelidam: hæc bilem poterit ſedare tumentem,
Et labem tenuare acidam, & componere bellum.
Circulus hinc facilis, promptuſque liquoribus: actæ
Secedunt tandem diluto, e corpore ſordes.
Sin contra, tepidam potius, calidamve propina,
Atque eadem fieri ſimili ratione videbis.
(*b*) Mortiferæ ſpecies febris eſt; quam fata ſequuntur
Vel ternà, quartàve die, ni prompta parentur
Auxilia, atque ſtatim, primàque ab origine morbi:
Dicunt (*c*) Lypyriam: torrentur viſcera flammà
Interius vivà: ſenſu exteriora moleſto
Frigeſcunt: remoratur enim pars rubra cruoris
Viſceribus, ſpoliata ſero, lymphàque fluente,
Ardoremque creat, rapidum cum concipit ignem.
At tunc lympha cutem mordax invadet, & artùs
Externos ſtimulans, longè ſecreta calore
Externum potis eſt etiam progignere frigus.
Quanta manet Febrem tantam te cura mederi!

Quæ

(a) *Epialas Febres puto eſſe duplices intermittentes, ſed utraſque a ſucco Pancreatico acriore productas, & ita quidem, ut continuò unius frigus concurrat cum alterius ardore, atque prioris Paroxyſmus novus, & frigus revertatur, quando poſterioris calore incipit augeri, & ægrum angere.* Ibidem n. 99.

(b) *In Febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores ſint frigidæ, interiores verò urantur, & ſitim habeant, lethale eſt.* Hip. Aph. 48. lib. 4.

(c) *Eſt igitur Febris Lipyria ardens orta ex inflammatione viſceris interioris valde ſenſibilis &c. Hæc Febris brevi terminum abſolvit, plerumque intra triduum, quatriduum, & vix unus evadit, niſi ſtatim ab initio huic malo præveniamus. Vide* Lindanum, & Hettmullerum vol. V. p.563. cum notis Cyrilli.

Quæ lympham interius forſan propellere poſſet,
Ne cute difletur, ſiccumque rigare cruorem;
Hæc eadem criſpat flammatas frigida fibras,
Ardoreſque novos ſemper ſuccendit, & æſtus.
Qui poſſent calidi fibras laxare liquores,
Sanguineoſque iterum latices diſſolvere, lympham
Sudore eliciunt per ſpiramenta liquatam.
Quin nec, quot morbus poſcit, ſorbere calentes
Undas poſſe datur, cum ſic comburitur æger.
Temperies ergo, mixtà cum frigore flammà
Inſit aquæ, tanto in morbo quæ ſola bibenda eſt.
Nec mora, nec requies, lymphamque, ſerumque cruori
Suffice, protenſaſque fibras, cæcoſque canales
Fluctibus innocuæ reſera conſtantibus undæ:
Nec venit ulla magis præſens fortuna malorum.
(a) Hemitritæa triplex ſemper metuenda medenti eſt.
Prima Paroxyſmos producit tempore longo:
Horis ſex, & terdenis acceſſio durat:
Parva tamen, potius ficta, aut Apyrexia nulla.
Altera continua eſt ſimplex permixta tritæo:
Continua eſt, & acuta, tritæo tertia juncta.
Aſt variant aliæ vario diſcrimine mixtæ,
Nec ſervatur item incertis acceſſibus ordo,
Incertuſque rigor, friguſque, incertus & horror
Omnia perturbant ſemper, mutantque tenorem.
Tantane luxuriat morboſæ copia labis?
Tantum alitur vitium? muſſat medicina timore.
Sic dum quiſque ſuas acuit violentior iras,
Inque Notum Boreas, Zephiruſque inſurgit in Eurum,
Nox non una tegit Cœlum, denſæque tenebræ

Denſis

(a) *Vide præ cæteris* Cornelium Celſum Cap. 3. de Febtium generibus. *Hemitritæos* ἡμιτριταῖος, *quaſi ſemitertiana. At quemadmodum hoc nomen Febris quandam graviſſimam ſpeciem denotare, unanimis Meditorum eſt conſenſus: Ita a contrario tantus inter eos eſt diſſenſus, qualis ſit Febris, & quæ ejus natura, ut nec hodie certo conſtare poſſit de hac re. Nos ſequimur Celſum.*

Digitized by Google

Denſis incumbunt tenebris: aſſurgit ab undâ
Unda tumens, rapiturque a torto vortice vortex,
Jactatæ neſcit moderari navis habenas
Anxius, & medio palleſcit in æquore rector.
Sed tamen afflictis nimiùm diffidere rebus
Semper grande malum eſt, morboque infeſtius ipſo.
Ergo opus eſt animis; latices committe bibendos
Hauſtibus aſſiduis, prudens cognoſcere tempus,
Quo magis audendum: ſiccis tibi faucibus ingens
Signa dabit ſitis, & fervens ſub pectore bilis,
Et ſtimulans acris fibras quæ lympha rigores
Excitat, & bili permixta in ſanguine turbat
Motùs: attenua tantas, & prolue ſordes,
Ne minimis ſtagnent tubulis refluentibus undis.
Nec nocuiſſe poteſt magis hic, quam parcus aquarum
Uſus, ubi tantis crudeſcit concita monſtris
Dira febris. Quandoque ferox acceſſio turbas
Quot tibi ſuccendet! Fermè jam deficit æger
Impetibus primis, nec reſpirare poteſtas:
Eheu quam rari morbo ſervantur ab iſto!
Triſte febris, ſi ſola ſuo furit acta labore:
Aſt aliis ſi mixta malis, nil triſtius illâ.
Quin etiam varia ingentes obſtructio febres
Gignit, ubi in minimis reſtagnat torpida venis
Materies, cœnoque ſimul concreta tenaci
Glandula multa tumet: vicinas occupat ergo,
Cum nequit ire cruor, multo conamine partes,
Inque aliis creſcit tubulis violentior actus,
Extimulatque fibras cordis, venæque frequentes
Proſiliunt, febriſque ſtatim ſuccenditur: inde
Continuò obſtructis pars jam vitiata putreſcit
Sanguinis in venis, geminæque putredinis ortum
Hinc habuiſſe ſolent ſpecies. Gangræna (*a*) necroſim (*b*)
Sæpius

(a) *Gangræna.* γάγγραινα. *vocatur partis alicujus ob inflammationis, quæ conflictatur, magnitudinem, incipiens mortificatio, & Corruptio.*
(b) Νέκρωσις. *Mortificatio; hoc eſt caloris nativi in corpore, vel parte aliqua*

Digitized by Google

Sæpius inducit, properataque fata ſequuntur.
Naturam abſceſsus ſuperant, ſuperantur & ipſi
Stagnantis pro more luis, partiſque vigore.
His nil in Febribus melius, quàm frigida: clauſos
Vel non confecto, tubulos, jam pure recludit,
Et fera naſcentis depellit ſemina Peſtis;
Seu ſordes mundat ruptis abſceſſibus ingens
Ulceribus purà abſtergi medicamen ab undà.
Exterius quandoque etiam indigeſta, tenaxque
Excitat immanem, multoque dolore Parotim, (a)
Sanguinis illuvies, febriſque moleſtior ardet:
Unda ſolet tales etiam ſolviſſe tumores.
Flavam vidi equidem multos ſputare frequenter
Peſtiferam ſaniem, & victo revaleſcere morbo.
At nil abſiſtas latices præbere, tenacem,
Et crudum, ut valeas tandem ſubmittere cœnum,
Atque Ptyaliſmos (b) facilis ſervetur, & unà
Continuò exoneret ſordes veſica malignas.
Hectica præterea (ſed quam non vulnera gignunt
Pulmonum) interno ſolidorum accenſa calore,
Expugnatur aquà: multà tamen arte memento
Et præbere quidem, & partiri tempore lymphas.
Potus enim nimius concretas undique cruſtas
Venarum in ramis ſalientùm ſolvere quamvis
Poſſit, nutrimen tenuat tamen ipſe cruoris,
Atque magis frangit ſolidas in corpore partes.
Ergo bibat tantum, & toties, quantum exigit æger:
Paulatimque calor, macies, febriſque recedet.
Præcipuè in Pueris emergunt corpore toto

Arden-

---

qua extinctio, qualis contingit in ſphacelo poſt Gangranam. Dicitur etiam ſideratio. Vide Foreſt. lib. 1. chirurg. obſer. 13. ſchol.

(a) *Parotis.* Παρώτις. *Generaliter ſignificat omnem abſceſſum, & tumorem glandulas ab aures occupantem, & infeſtantem.*

(b) *Ptyaliſmos* πτυαλισμοὶ *dicitur crebra exſputatio, vel oris ſalivatio, cum os continenter ſaliva redundat.*

Digitized by Google

Præcipuè in Pueris emergunt corpore toto
Ardentes papulæ, quas (a) exanthemata dicunt.
Membra rubent maculata prius, quam creſcat eundo
Febris, & exurgant variâ pro mole tumores.
Sub cute dein ſtagnans putreſcit morbidus humor,
Et tandem in ſiccas abeunt mox omnia ſquamas.
His aqua profuerit multo diſcrimine morbis,
Arentes tantum ſi molliat humida fibras,
Humoremque fluens tenuet, ſolvatque tenacem,
Inque cutim ducat, quò tunc natura potenter
Exoneret ſe ſe, ponatque innoxia ſordes.
Quæ multæ livent papulæ, minimèque tumeſcunt,
Portendunt mortem: nimiùm nam craſſus abundat
Humor, & inſanum torrentur membra per ignem.
Copia major aquæ idcirco præbenda, tepenſque,
Sed quæ non ſolvat ventrem. Sit parcior unda
Ecthyma ſi tumeant, febris ſi mitior æſtus,
Incipiatque criſim facili natura labore.
Coſtas quæ tenui cingit membrana (Medentes
Appellant pleuram) minimis in ductibus ignem
Concipit, & præſtò eſt flammato ſanguine febris.
Hic pleuritis erit morbus, quo tuſſis anhela,
Inſanuſque dolor pectuſque, latuſque laceſſit,
Unaque continuò ſalit ictibus aſpera duris.

K Pul-

(a) *Exanthema.* ἐξάνθημα, *Item* ἐξάνθισμα *in genere denotat omnem efflore-ſcentiam, aut eruptionem præter naturalem in cute, ſive cum aliqua ſolutione continui fuerit, ut ſunt Puſtulæ, Papulæ, Variolæ, quo etiam pertinent alia nominâ Ecbraſmata, Eczeſmata &c. ſive abſque ſoluta continuitate colorem ſaltem cutis mutatum, ſive maculas cutaneas. Quo pertinent Morbilli, Petechiæ &c. Exanthemata verò hic ſumuntur pro peculiari genere Exanthematum puſtuloſorum, cum febre conjunctorum, & ita reſcribi poſſunt. Variolæ ſunt Papulæ majores, minoreſve ab initio ſub forma macularum rubentium in toto corpore, aut plurimis ejus partibus erumpentes, cum febre acuta epidemicâ, in augumento ſe ſe elevantes, & ſub ſtatu materiam viſcidam, interdum & aqueam continentes, tandem in declinatione degenerantes in cruſtam &c.*

Digitized by Google

Pulmones quandoque etiam læduntur ab ipſo,
Qui fibras acidus Pleuræ contaminat humor,
Occluditque vias ſtimulans, cogitque cruorem,
Abſceſſumque creat: tunc eſt Pulmonia morbus.
Non gelidam, nimiùmve bibat, qui talibus æger
Afficitur ſtimulis; lædit nam pectora frigus,
Et bibulus multâ Pulmo turgeſcit ab undâ.
Nec calidam potet: criſpatur Fibra calore,
Ardeſcitque magis. Paulatim tempore primo
Incipe flammatas tepidâ reſpergere partes,
Ut ſtabulans citius putreſcat marcidus humor,
Et facilè ſputum valeat prodire cruentum,
Diraque mundentur ſparſis contagia lymphis.
Sæpe etiam ſolvit Pleuritim urina; ſed ori
Vicinum ſputo eſt melius detergere pectus.
Guttura ſuccenſis angit quoque Phlegmone flammis,
Diverſamque ciet diverſâ in parte Synanchen. (a)
Faucibus obſeſſis potuſque, cibique meatus
Intercluduntur, nec fit ſpirabilis aer,
Pulmoneſque etiam fas eſt accendier ipſos
Attactu propriore ignis. Nil poſſe fatendum eſt
Hoc latices morbo in tanto. Sorbere liquores
Æger cum nequeat, tepidâ fumante juvabit
Anxia roriferis mulcere vaporibus ora,
Tonſillas (b), uvaſque (c) graves lenire, gulamque,
Et quæ membranis Trachea (d) eſt aſpera ſtrictis,
Flamma-

[a] συνάγχη. *Anginâ eſt angustia faucium cum ſpirationis, & deglutitionis difficultate. Dividitur in Synanchen cum interni faucium, hoc eſt loci, ubi ſimul conveniunt gutturis, gulaque extrema, muſculi inflammati ſunt. In Cynanchen, quando interni gutturis muſculi inflammantur, itant æger inſtar anheloſi linguam exerat. In Paracynanchen, quando exteriores faucium muſculi inflammationem patiuntur, &c.*

(b) *Tonſillæ ſunt Glandulæ faucium, quæ Glandulæ Græcè Paryſthmia,* παρίσθμια *appellantur.*

(c) *Supra rimam Laryngis dependet pars teres, & obtusè acuminata, quæ vocatur uva, uvula,* Columella *Gurgulio.*

[d] *Trachea, ſive aſpera arteria, eſt Fiſtula oblonga ex variis cartilaginibus, & mem-*

Digitized by Google

Flammatæ donec molleſcant ordine partes,
Paulatimque cruor ſtagnans ſolvatur, & actus
Continuò amiſſos pergat percurrere motus.
Ignavo fauces ſi phlegmate falſa Synanche
Obſtruat, & lento Febris ſit mitior æſtu;
Parcus aquæ potus tunc, ſed non frigidus, arctam
Permulcet fibram, & craſſos tenuare liquores
Incipit, abſceſſuſque fovet, recoquitque tumentes,
Et citò purgantur, recluſo carcere, ſordes.
Sæpe feri tenues latices Febris acta calore
Diſſipat, & patulos bilis tunc fortè canales
Lympha tenax claudit: notos non illa receſſus
Intercluſa petit, rurſuſque ſubire cruorem
Cogitur, atque cutis minimis in ductibus hæret.
(*a*) Icterus hinc croceo ſuffuſus membra colore
Palleſcit. Craſſam potis eſt diſſolvere lympham,
Amiſſoſque fero latices aquæ ſufficit una,
Perque ſuos bilem ductus effuſa reportat,
Nativuſque color ſanis jam redditur ægris.
(*b*) At quandoque jecur rapido dureſcit ab igne,
Ictericiſque necem, ſuccenſa bile, propinat,
Et negat auxilium tantis in febribus unda.
Ardet (*c*) Eryſipelas acido permixta liquore
Cum turget, minimaſque cutis cum ſanguinis aura
Pungit agens, criſpatque fibras, gignitque tumorem,
Purpureuſque color diſtentâ in parte refulget.

& membranis compaginata, a faucibus in Pulmones deſcendens, illoſque multiplici ramificatione percurrens, aeri pro reſpiratione liberum tranſitum ad Pulmones, indeque rurſus foras concedens.

[a] *Icterus.* Ἴκτερος. *alias morbus Regius, Arquatus aurigo. Eſt in toto ambitu Corporis externo coloris nativi in flavum mutatio. Communius putatur infici hoc colore cutem ex poro felleo obſtructo, nequeunte bilem e jecore in veſicam fellis traducere, quæ propterea per univerſum habitum Corporis diffundatur.*

(b) *Morbo Regio laborantibus, Hepar durum ſi fiat, malum eſt.* Hip. 6. Aph. 42.

[c] *Eryſipelas.* Ἐρυσίπελας. *Eſt tumor præter naturam, non alte deſcendens, ſed in cute conſiſtens, ut plurimum procedens a ſanguine tenuiori, ab acido quodam vapore, vel humore in motum adacto, ut fermenteſcat, & remoretur.*

Sic & apes ætate novà ſi forte cavatis
Corticibus clauſas perturbat ruſticus, illæ
Continuo ingenti læſæ ſtridore feruntur:
Spicula contorquent roſtris, hoſtemque laceſſunt
Morſibus, immiſſoque ſtatim fœdata veneno
Ora tument, magnàque latent ſub mole ſepulti
Squallentes oculi, viſu mirabile monſtrum.
Quin etiam internas ſolet hic incendere partes
Morbus, & ægrotis extrema pericla minatur.
Magna malis tantis latices præbere bibendos
Cura ſit (*a*), introrſum exterior ne flamma recedat,
Interior verò ut valeat detrudier extra.
Frigidior poterit potus nocuiſſe: meatus
Adſtringit: flammas fovet, interiuſque recondit.
Sic aqua multa etiam ſimili ratione nocebit;
Quæ movet abſceſſus: (*b*) tali prohibenda putredo.
In Febri, magnis urget nam caſibus ægros.
Humor ſi varius ſtagnet, nec Phlegmona vera
Ardeat, hauſtus aquæ ſit plenior: omnia quando
Cœnoſa e fluidis ſolvuntur corpora lymphis,
Acria cum ſævo diſcerpunt viſcera morſu
Tormina (*c*), febris adeſt, ſtrigmentaque fœda per alvum
Mixta cruore fluunt, ruptiſque canalibus ardor,
Et dolor exurgit: talis (*d*) Proptoſida morbus
Sæpe etiam producit, ſollicitumque (*e*) Tenaſmum
Undi-

(a) *Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora, non eſt bonum; ab interioribus autem ad exteriora, bonum.* Hip. Aph. 25. lib. 6.
(b) *Ab Eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malum.* Aph. 20. lib. 7.
[c] *Tormina latinè ex Celſo. Græcè Dyſenteria.* Δυσεντερία. *Difficultas inteſtinorum cum exulceratione, hoc eſt, Excretio alvi præter naturam frequens, cruenta, ſtrigmentoſa, aut purulenta, cum dolore ventris, ſuperveniente teneſmo, virium proſtratione, aliiſque ſymptomatibus, proveniens ab interna inteſtinorum exulceratione & vaſculorum corroſione, febrem magis, vel minus malignam conjunctam habens.*
[d] *Proptoſis.* προπτωσιν. *Procidentia ani.*
(e) *Teneſmos.* Τεινεσμὸς *latinè Teneſmus & Tenaſmus. Eſt aſſiduum ferè per alvum excernendi deſiderium urgens, cum dolore præcipuè in extremo ano &c.*

Undique vexantem, & recta inteſtina prementem.
Nil gelidâ, & multâ in morbo præſtantius iſto,
Ulcera quæ tergit, latices quæ temperat acres,
Sanguinis & crudos tenuat, ſolvitque liquores:
Mordacem mulcet bilem, flammiſque reſiſtit,
Membraque adurentes febriles comprimit æſtus.
Sed magis id præſtat pleno diffuſa fluento
Cum ciet urinam, & motum in contraria vertit.
Nec minus & gelidi latices diſcrimine vitæ
Horribiles poterunt (a) Choleræ compeſcere motus.
Illa malum, quo non aliud velocius ullum,
Unius extinguit ſpatio perſæpe diei
Afflictos ſævis miſeros cruciatibus ægros,
Dum corruptam alvo bilem, vomituque maligno
Rejectant, extrema rigent, ſuræque trahuntur:
Vix criſpata ſalit, ſubſtrictis undique fibris,
Vena: Per oppreſſos ſudor fluit algidus artus:
Nec mora, nec requies, intentant omnia mortem.
Hauſtus aquæ verò properantia fata moratur,
Quæ valet humorum ardentes extinguere flammas,
Et ſtimulos mulcere graves, ſordeſque lavare.
Atque adeo extremos ferrent ſi forte labores,
Quas vulgò dicunt verè intermittere febres,
Hic illis etiam gelidâ quæ cura fugandis
Præſtaret, canerem, ſpecies, & ſigna docerem.
Quoque modo poſſent latices detergere partes
Humorum varias, Duodeni flexibus hærent
Qui crudi, pugnamque cient, & prælia miſcent:
Tempore quove febres gignunt, quo tempore frigus,

Prout

(a) *Cholera.* χολέρα. *Eſt acutus affectus cum vomitibus bilioſis multis, alvique dejectionibus, ſuris quoque ſe contrahentibus, ac frigeſcentibus extremitatibus, fiuntque in his ægris pulſus minores, & obſcuriores.*

Prout minor, aut major bacchatur copia labis,
Nervoſaſque agitat fibras, fœdatque cruorem.
Verum hæc ipſe quidem facilem noſcenda per artem,
Prætereo: atque magis Perùe quem mittit ab Indis,
Arboris eximiæ Cortex, cum protinus omnes
Has nullo valeat diſcrimine vincere Febres:
Cortex ad minimi tundendus pulveris inſtar,
Et gelidis potandus aquis, hauſtuque frequenti.
At feſſus tandem, tumidis ſtridentibus undis,
Vela traho, lituſque juvat tetigiſſe parumper,
Ingentem donec poſſim lenire dolorem.
Abſtulerant nobis te ſævo funere Parcæ,
Sergiade Thoma, Auſoniæ columenque, decuſque,
Dum tibi purpureos jam Roma parabat amictus,
Et meritos jam virtuti indicebat honores.
Te ſeptem flerunt colles, te Tibridis unda:
Te Latii flevere Patres, ſummuſque quiritum:
Te flevit Rector, toto qui præſidet orbi.
Et mox alterius vaſtum maris æquor arandum.
Deficiunt animi reliquos hic ordine morbos
Enumerare graves, fractâ quot Pyxide terris
Immiſit delapſa polo Pandora minaci:
Scilicet ante quidem Primævi furta parentis
Purpureâ latè ſemper puriſſimus æther
Luce replebat humum: ſemper nox æqua diei:
Et placidi ſoles: & formoſiſſimus annus:
Non Æſtatis erant, rigidæ non tempora Brumæ:
Nil Genus humanum poterat læſiſſe malorum,
Temperieſque eadem ſemper, motuſque perennis
Servaſſent ſanas æterno in corpore vires,
Ni vetitum demens tetigiſſet fœmina Pomum.
Millenos etiam vivebant ante Noemum
Longævi patres annos; ſed ferrea poſtquam
Ætas omnigeno fœdavit crimine terras,
Poſtquam Virgo illas infandâ cæde madentes
Ultima Cœleſtum fugiens Aſtræa reliquit,

Omni-

Digitized by Google

Omnipotens Genitor nutu, quo cuncta creavit,
Oppreſſam ſcelerum tanto ſub pondere molem
Concuſſit, trepidamque emoto cardine vellit.
Fit fragor horrendus: vaſto curvamine Fornix
In præceps immenſa cadit, ſubitàque ruinà
Æſtuat exiliens immanis abyſsus aquarum:
(Heu quot abyſsus aquas includit cæca barathro!)
Addita vis ventis, quis non obſiſtitur: illi
Incumbunt celeres, agitantque premuntque viciſſim,
Spumantes circum validis conatibus undas,
Atque ſuis preſsæ aſsurgunt cum fluctibus undæ.
Nec minus effuſis, miro ſed more procellis,
Axis uterque tonans clauſas reſerat cataractes:
Flumina, non imbres Cœlo labuntur aperto:
Omnia Pontus habet: Tellurem contegit unda:
In chaos antiquum vertuntur cuncta: tenebris
Sic olim latè facies horrebat abyſſi,
Et ſuper altus aquas Dius ſic ſpiritus ibat.
Tunc tenuit Terra obliquum immutata tenorem:
Tempora diſtinxit tunc Sol in quatuor annum:
Diverſo Cœli tractu tunc mobilis aer
Frigore denſari, oppoſitove calore reſolvi,
Et vapor effundi varius, variæque renaſci
Ceperunt rerum ſpecies, nebulæque, niveſque,
Atque gelu, & tonitru, & ſpiſſo cum fulgure fulmen:
Omnia præterea ingenti tunc mixta tumultu,
Aera fœdarunt purum: Sic ſpiritus ipſe,
Unde bibunt homines vitam, mox proximus auctor
Interitus, ſegetes potuit genuiſse malorum
Quot nobis! triſteſque Febres, ſubitaſque ruinas!
Hinc diverſa viget diverſis partibus Orbis
Morborum ſeries etiam, ut diſtare videntur
Et color, & facies hominum. Sub ſole cadente
Oceano in magno quondam Gens abdita nobis
Uſque lue infandà Veneris tentatur, & ipſa
Nullius attactu contagia concipit ultro.

Digitized by Google

Aſt (a) Elephas ſacer, & (b) Lichen, quà fertilis arva
Irrigat Ægypti Nilus, graſſantur: Achæus
Ex oculis paſſim, ſuffuſà nube, laborat:
Atticus ex Podagrà: rigidos inſana Britannos,
Arctooſque alios Populos (c) Stomachacia torquet.
Sola Tarentinum progignit Apulia (d) morbum,
Sævit ubi æſtatis nimio exagitata calore,
Atque venenoſos infigit aranea morſus.
Sic aliæ ex alio generantur ab aere Peſtes,
Humanumque Genus ſomnoque, cibiſque gravatum,
Contracto nimium fugientis tempore vitæ,
Continuò perdunt. Adeo ſed rebus egenis,
Deteriorque malis quamvis nunc corruat ætas,
Extulit iſta tamen tot, qui lenire labores
Artibus ingenuis certant, ſtudiſque Minervæ,
Summa virùm ingenia. Hæc te, Facciolate (e), ſuperbit
Italia in magna, Patavi lux alma Lycei.
Hæc te, Pontadera (f), herbarum cognoſcere vires
Eſt cui poſſe datum cunctas, quas humida Doris,
Et quas Najas aquis medicos irrorat in uſus.
Hæc te, cui cauſas, ignotaque ſemina rerum
Scrutanti (& placet experientia certa diſerto)
Cuncta, Polene (g), volens pandit natura, Deuſque.
Hæc te, qui ſolers dextram, Morgagna, ſagacem
Exerces, minimaſque fibras, tenueſque canales,

Atque

(a) *Elephas (qui & Elephantiaſis) morbus eſt, in quo naturalis faciei figura mutatur. Id nominis nactum eſt hoc malum, quod in eo cutis corio Elephantis ſimilis videatur; nam maculis quibuſdam ad atrum colorem vergentibus inficitur, atque inæqualiter aſpera, craſſa, ac veluti ſquamis fœda, livens, ferinaque redditur.*

[b] *Lichen.* λειχὼν, *dicitur ſumma cutis aſperitas cum multa prurigine, ſquamis, & furfuribus.* Hip. refert inter lepras lib. 2. Prorrh. 1. 19.

(c) *Stomachace.* στομακακία. *Scorbutus a ſymptomatibus oris, & dentium læſiones complectentibus.*

(d) *Vulgò* mal della Tarantola.

(e) Facciolate. *Vide alibi.*

(f) Pontadera. *Lector Botanicorum in Gymnaſio Patavino.*

[g] Polene. *Lector Phyſicæ exſperimentalis in eodem Gymnaſio.*

Atque obſcuros, atque intertextos Labyrinthos
Rimaris, carnes alii ut rimantur, & oſſa.
Tu triſtes hominum ſolaris carmine curas,
Eloquioque potens reliquos doctiſſimus inter,
Vulpiade (*a*). Græcos ſapiens recludere fontes,
Quæ non afflictæ illuſtrat nunc commoda vitæ
Riccius? (*b*) Inſignis quæ non ſapientia Goræ (*c*)
At quis te tacitum quis, Bergantine, relinquat?
Qui Latias revocas Hetruſca ad carmina Muſas,
Carmina nativum referentia pura nitorem,
Immo venuſta magis patriæ dulcedine linguæ,
Unde lepor, venereſque novæ, & nova gratia fulget.
Cantanti ſtupefacta cohors tibi plaudit olorum,
Tyrrhenæque tibi ripæ, tibi limpidus Arnus
Aſſonat, & proprios Phœbus tibi cedit honores.
An te prætercam, Divine Poeta (*d*) Johannes,
Muſcatidum proles inſignis? Proxima Phœbo
Verſibus ipſe facis: ſacro tu percitus æſtro,
Virginis Ætheræ celebras dum carmine laudes,
Conſuſæ reddis noſtræ ſolatia menti,
Pellis & ingratos triſti de corde labores.
Quid reliquos memorem fama, ſtudiiſque ſuperbos,
Laudibus, Italiam cumulant qui grandibus omnem?
Salve magna Parens rerum, Saturnia Tellus,
Magna Virùm. Creſcit ſed nunc tua Gloria major,

L BORBO-

(a) Vulpiade. *Johannes Antonius Volpi, in eodem Gymnaſio Lector Humaniorum literarum.*
[b] Riccius, *Florentiæ Profeſſor Linguæ Græcæ.*
[c] Antonius Franciſcus Gori, *inſignis Florentinus Orator.*
(d) Johannes Petrus Bergantinus *C. R. Theatinus humanioribus literis, & omnium ſcientiarum doctrinà pollens, mirabili felicitate, atque elegantià quamplurimos latinos Poetas ad Carmina Hetruſca revocavit; excelluitque præcipuè in eximio necnon arduo Antilucretio Poliniacenſi.*
(e) Johannes Muſcatus *Patricius Melphictenſis vir acerrimi ingenii, dulciſſimus amicus noſter, flos & amor vatum, inter lyricos nulli ſecundus.*

Digitized by Google

BORBONIDES CAROLUS clarà Sirenis in Urbe,
Cum regnet, ſerieſque tuo de ſanguine Regum,
Nec non Heroum, nobis, Valburga, perennet,
O felix Siren, Regum ſtudioſa tuorum,
Fortunas memorare tuas, & maxima dona
Quis queat? & quis delicias æquare canendo?
Tolle, Pater Sebete, tuo ſublimis ab amne,
Paciferæque Caput ramis præcinctus Olivæ,
Labere perpetuò puris nitidiſſimus undis.

Finis Libri Tertii.

DE

DE HYDROPOSIA SEU DE POTU AQUÆ IN MORBIS

LIBER QUARTUS.

AT breviter reliquos, vincit quos Potus aquarum,
Enumerare juvat morbos: non uſque bibendum:
Invalidis eſcam tandem eſt præſcribere tempus.
Nec non, ſi qua tenent Potos eventa, cavere
Præſtat, & extremo finem impoſuiſſe labori.
Procreat horribiles, ſubitoſque (a) Apoplexia caſus,
Et ſenſus, motuſque negat torpentibus ægris.
Craſſior occludit minimos ubi nerveus humor
Spinalis tubulos, proprioque in fonte medullæ,

 Tunc

(a) *Apoplexia*, ἀποπληξία. *Eſt ablatio ſenſus, & motus in toto Corpore, ſeu vehemens, & repentina totius Corporis reſolutio, ac ſtupor.*

Tunc nequeunt animæ notos penetrare receſsùs,
Contenduntque ſtatim retrorſum velle reverti.
Aſt aliæ occurunt celeres, urgentque, premuntque,
Oppoſitoſque cient motùs, bellumque laceſſunt:
Exultant, mixtæque ſimul, denſiſque catervis
Per cerebri rurſus fibras ſine lege feruntur,
Cujus opus proprium turbant, & munera lædunt.
Non ſecus aggeribus poſitis, atque obice vaſto,
Cum ſolitum per iter ferri, curſuſque negatur,
Æſtuat impatiens amnis ſpumantibus undis:
Quà datur ire, viam reſerat, vicinaque rura
Occupat, & latè campos furioſus inundat:
Sternit agens ſegetes, ſata læta, boumque labores.
Non motus, ſenſuſque tamen ſubducitur omnis
Semper; nam patulis nonnullus muſculus auras
Suſcipit à valvis, variàque in corpore lege
Hæc opus omne ſuum, nullum pars perficit illa.
Frigidior potus clauſos recludere ductus,
Effœtiſque valet vires in priſtina fibris
Reddere, & hærentem nervorum impellere ſuccum,
Atque animas ſua per commercia ferre libenter.
Principiò penitus ſtupidis potaſſe negatur
Ægris; idcirco ſtertentibus oris hyatus
Fragmine ſparge nivis, donec ſorbere parumper
Sit jam poſſe datum: plenis mox hauſtibus undam
Accipiant, longoque ultro poſt tempore poterit.
Non ſemel exanimes hac arte revivere vidi.
Facta fide majora canam: Experientia veri
Sed tamen eſt teſtis nivis, & non amplius unâ
Nocte, quaterdenas apoplectica Fœmina libras
Dentibus attrivit ſugens, gelidoque liquore
Os, linguamque gelu, vivo velut igne, peruſta
Continuò potavit aquas, & funera vicit.
Non aliter (a) Pareſis gelidâ curatur ab undâ,

Atque

(a) *Pareſis.* πάρεσις. *Idem quod Paralyſis, eſt nervorum reſolutio, cum nervi, & corporis partes, ſenſus, & motus expertes vel perfectè, vel imperfectè fiunt.*

Atque tremens (*a*) Spaſmos, ſacer atque (*b*) Epilepſia morbus.
Omnibus his eadem cauſa eſt, mutantque tenorem,
Ut magis, utque minus craſſeſcit nerveus humor,
Occluditque vias varias animalibus auris.
Hos mora longa tenet morbos; mora longa juvabit,
Ut ſolers gelidam prudenti lege miniſtres.
Ter veniente die potet, ter ſole cadente
Æger nec multos non potaturus in annos.
Paulatim vitium ſic emendatur, & ultro
Recluſis fluitant vitales ductibus auræ.
  Solvere nodoſam quamvis medicina (*c*) Podagram,
Et (*d*) Gonagram nequeat, Chiragramque, (*e*) Arthritis acerba,
Quos triſtes gignit cruciatùs; attamen unà
Enervantur aquà, & ſtimuli obtunduntur acuti.
Et quid aquà melius ſalſos, acidoſque liquores
Demulcere valet? melius quid denſa liquare
Tartara? quid cinerem immundum laviſſe, ſimulque
Per proprios ductùs tetram detrudere peſtem?
Et ni longa dies gelidam, multamque propinet,
Morſibus articuli nunquam ſolventur amaris:
Concretas nunquam deterget frigida ſordes.
Longa dies, ſtillat ſemper dum roſcidus humor,
Dura licet, tandem paulatim ſaxa peredit.

(*a*) Rheu-

(a) *Spaſmos σπασμὸς. Cum omnes arbitrarii motus Muſculis obeantur, quando ad ſua capita retracti, unàque particulam, cui inferuntur, ſimul attraxerint, ſi affectus aliquis p. n. in tenſionem muſculos ducens iiſdem acciderit hunc motus ſequitur ſimilis quidem naturali, ſed citra voluntatem : & vocatur affectus Convulſio.*

(b) *Epilepſia ἐπιληψία. Morbus comitialis eſt affectus, quo ægrotantes illicò prehenſi, veluti fulmine icti, in terram concidunt, ſpumam emittunt, capite collo, oculis, manibus, pedibus, totoque corpore convelluntur, ac dentibus ſtrident cum mentis, & ſenſuum læſione.*

(c) *Podagra. ποδάγρα. eſt arthritis pedum.*

(d) *Gonagra. γονάγρα. arthritis eſt, quæ genua occupat.*

(e) *Chiragra. χειράγρα. Eſt arthritis, qua manus infeſtat.*

(f) *Arthritis. ἀρθρῖτις. Morbus articularis, ſive artuum vitium, ſive articuli tumor dolorificus, quem fluxio in eum decumbens generavit.*

Digitized by Google

(*a*) Rheumata quid memorem permixta Arthritide? ſævo
Muſculus afficitur, membranaque tacta dolore eſt,
Oſſaque præcipuè quæ ſubtiliſſima veſtit:
Glandula particulis turget fœdata ſalinis,
Atque acri vitioſa ſero, queis ſanguis abundat
Noxius, & triſtis maculat (*b*) Cacochymia corpus,
Hic gelidam potaſſe juvat noctuque, diuque,
Omni ſubtractâ penitus potantibus eſcâ,
Immitis donec decedat ſanguine labes.
    Juncta febri ſimili curentur Rheumata lege,
Arida præſertim flagret ſi lingua, fluantque
Accenſi urinæ latices. Sin pectus anhelet,
Auxilium venit a calidâ præſentius: ingens
Pectus obex gelidæ eſt, gelidâ cum læditur undâ.
    Et ſanies collecta replet quoque pectoris antrum,
Abſceſſu rupto, magnum tabentibus ægris
Illa malum; quandoque tamen ſed potus aquarum,
Et ſudore luem, tuſſique eduxit, & arctos
Urinæ laſſans inſueto more meatus,
Egit continuò congeſtas pectores ſordes.
Frigidior, nimiuſque nocet pulmonibus humor.
Tantus ubi ſævit magno diſcrimine morbus,
Cautus procedas, iterumque iterumque monebo.
    Hæc eadem ſerves, ſpuitur dum pectore ſanguis.
Potus aquæ nimius tenuat nam ſæpe cruorem,
Et magis ille fluit: veluti vibratur ab arcu,
Si magis e nimio tendantur frigore fibræ.
    Heu quantis miſeros torquent cruciatibus ægros
(*c*) Colicus (*d*), Iliacuſque dolor! non una duobus
Eſt

(a) *Rheuma.* ῥεῦμα. *Humor fluens, plerumque lympha acredine, acore, vel ſalſilagine prædita.*

(b) *Cacochymia.* κακοχυμία. *Eſt vitium humorum vitalium, præcipue maſſæ ſanguineæ qualitate præter naturali afficiens, eſt proveniens a collectione portionum heterogenearum, & vitioſarum, corpori alendo ineptarum, vel unius, vel varii generis.*

[c] *Colica.* κωλικὴ διάθεσις. *eſt morbus plenioris (id eſt craſſioris) inteſtini diuturnus, in quo cruciatus intolerabiles, difficultates ſpirandi, ſudores, perfrictioneſque ſuboriuntur.*

(d) *Iliaca.* εἰλεός. *Eſt affectus inteſtini ilei vehementiſſimus. Vocatur etiam miſe-*

Digitized by Google

Eſt his cauſa malis ſemper, non unus, & idem
Effectus ſequitur. Pravi quicumque liquores,
Ileus, & Colon quibus extimulantur, & ignem
Accendiſſe valent, contortis undique fibris,
Et fæces retinere. Hinc inteſtina tumeſcunt
Flatibus incluſis, & convolvuntur, & ipſas,
Dum Coli preſſis reſeratur janua ſpiris,
Rejectant vomitu, & ſævo conamine fæces.
Frigidus hinc ſudor; malus hinc & anhelitus oris:
Totaque veſano exagitatur turbine moles,
Concretas calidâ fibras leniſſe juvabit
Principiò, humoreſque truces, fœdamque lavare
Illuviem: Poſthac paulatim frigida confert,
Et magis ardor ubi ſitis implacabilis urget,
Sanguineoque urina micat ſuccenſa rubore.
At tepidam quandoque etiam interpone bibendam,
Semiſopita iterum flagret ne frigore flamma,
Et nova vix domito reparentur pabula morbo.
(a) Cæliacis gelida omnino potanda paretur,
Impaſtique bibant, donec permixta cruori
Hauſtibus aſſiduis extra vitioſa feratur
Materies: donec durentur frigore fibræ.
Purus enim cruor ingeſtos, fibræque valentes
Concoxiſse cibos poſsunt, corpuſque fovere.
(b) Et Renum vitiis, & veſicæ quoque confert
Potus aquæ, quoties gelidam potantibus ægris
(c) Calculus uretrâ magnis eſt viribus actus?
Urinæ quoties ardor ſedatus? acerbi

Mejen-

Miſerere mei, & Chordapſus.

(a) *Cæliaci. κοιλιακοὶ. dicuntur, quibus excrementa levia, humentia, et ſemicocta alvo contineatur fluida redduntur aliquanto, poſtquam aſſumpta fuerint, tempore.*

(b) *Pro vitiis Renum, & veſica hic accipitur Nephritis, νεφρῖτις. Eſt quandoque renum inflammatio cum vehementi dolore, cui interdum conjuncta eſt urina difficultas cum fibroſis excretionibus, aut arenoſis, aut modico ſanguine.*

(c) *Calculus. Calculoſus morbus λιθίασις: hic accipitur pro calculo renum, & veſice.*

Mejendi quoties ſtimuli ceſsere? bibendum
His certà ſed lege malis, & tempore certo,
Ut valeat paulatim impacta ſaburra reſolvi,
Amiſsumque iterum tubuli ſervare tenorem.
(*a*) At jam dirus Hydrops, cui ſat nocuiſse videtur
Potus aquæ, tumidumque magis diſtendere corpus,
Me vocat, & gelidæ miſeris præſentius undæ
Auxilium ſpondent ægris, facilemque ſalutem.
Iſta lues ergo, cunctos ſive occupat artus,
Et fugit ore color, ſubfuſcâ luce renident
Humentes oculi, ſubſidunt tempora, malæ
Informes turgent, liveſcunt labra, frequentes
Os animas ducit, ſtimulantur pectora tuſſi,
Crura, pedeſque tument, inflatur venter, inertem
Segnitiem ſequitur ſomnus, ſed perturbatus.
Sive aliqua eſt tantum quæ pars affecta laborat
Corporis, & ſpecies proprias, & nomen habebit
Partibus ex ipſis: tamen una Cachexia princeps
Omnibus eſt ſemper cauſa, una & lympha tumores
Tot vitioſa parit, cæcis quæ ductibus hæret,
Et quandoque nequit curſum celerare. Canales
Si diſrumpuntur, fibras diffuſa per omnes
Irruit, & totum effrænis tunc corpus inundat.
Ergo licet, lacerata quibus ſunt vaſa, lueſque
Altius inſedit, parteſque coinquinat omnes,
Nil valeant ſperare: tamen quæcumque moratur
Ductibus in propriis ſtagnans ex obice multo
Lympha, poteſt gelidis tandem detrudier undis,
Circuitumque ſuum rurſus renovare frequentem.
Principiò audendum, quamvis tumefactus adusque
Ægrotus fauces animam jam credat in ipſo

Tempo-

(*a*) *Hydrops.* ὕδρωψ. *Eſt nomen affectus gravioris generale, tumorem vel abdominis, & crurum, vel totius corporis denotans. Solet in humidum, & ſiccum dividi. Humidi Hydropis duæ ſunt ſpecies. Aſcites, & Anaſarca, ſive Leucophlegmatia: ſiccus qui ex flatibus tantum ortus eſt, Tympanites dicitur etiam aqua intercus.*

Digitized by Google

Tempore potandi ſingultantem expirare.
Moxque fluens, refluenſque ſimul vi pulſa canales,
Obice ſemoto, cæcos urina recludit:
Nec mora, nec requies undà propellitur unda,
Præcipitique ſonans curſu ruit agmen aquarum,
Congeſtaſque trahit depleto corpore lymphas.
Tuque opere in noſtro magnam quoque (a), Syphile, haberes
Partem, ni clarus divino carmine Vates
Excitos orco, ſtygiàque ab ſede labores
Dixiſſet, fœdamque luem, curamque notaſſet.
Felix qui tantum potuit! quem magnus Apollo
Ipſe ſuos docuit numeros, artemque medendi!
Te ripæ cecinere Atheſis, te flumine ſacro
Benacus cecinit redimitum tempora lauro.
Te decus Auſoniæ gentis, divine Poeta,
Cui tantum debet, quantum Verona Catullo,
Et quantum Emilio, & Macro, &, ſi dicere fas eſt,
Immo magis, fœdam purus cum commemoras rem,
Te ſequor, & longè: Cycnis contendat hirundo?
Æquabitque tuas paſſer, philomela, querelas?
Syphilidis ſed pauca tamen retuliſſe juvabit,
Quæ remanent, ut aquà poſſit quoque ſordida tergi.
Hæc labes ſal eſt rodens, atque acre venenum,
Unde dolor ſævit, paſcunt unde ulcera corpus,
Informeſque artus obducit ſquallida tabes:
Et ſal eſt quandoque acidum, ſtringenſque, tumores
Quo ſurgunt fœdi, atque impacto glutine nodi,
Excreſcenſque caro, & calli, criſtæque rigentes.
Una poteſt ergo puriſſima ſolvere lympha
Rodentes acreſque ſales: abſtergere turpes
Una poteſt ſordes: una enervare dolores.
Principiò impaſtos paucis potare diebus

(a) *Syphilus. Nomen a* Fracaſtorio *excogitatum, ex quo* Syphilis *dicitur lues venerea, vel morbus gallicus: unde & nitidiſſimus ille Poeta libros tres metricos ſuos de morbo hoc inſcripſit* Syphilidem. *Rationem hanc dedit Cajus Rejes, quod indicet nomen hoc quaſi concordiæ, & amicitiæ, venereæ partum, quaſi dic.* σὺν & φιλία.

Ægros ſæpe juvat, cum non fœdiſſima labes
Ingentes captavit adhuc per pabula vires.
Tunc etenim facilis per aperta foramina ſecum
Fert urina luis, purgato corpore, cauſam,
Et faciles coeunt deterſo vulnere fibræ.
Principiis obſta: magno divellere peſtem
Stabit, cum contracta diu jam firmius hæret.
Tunc repetitus aquæ, longo ſed tempore, prodeſt
Hauſtus, & epotâ morbus ſuperabitur undâ:
Abſtruſis paſſim latebris infixa veneni
Spicula continuò detrudet fluxus aquarum,
Glutine cumque ſuo poterit diſſolvere nodos.
Et ſimili ratione alios ſubmittere morbos
Sit tibi cura: meis omnes non verſibus opto
Amplecti, non ſit linguæ ſint, oraque centum,
Ferrea vox: ſatis hoc: tu cætera percipe dicta.
Nunc age qui victus, quâ ſit ratione parandus
Jam Potis dicam. Sed nutrimenta cruori,
Partibus & ſolidis quinam natura miniſtret,
Fas eſt ſcire, Cibi primum manduntur in ore.
Hic non concreſcens ſtillat pellucidus humor
Ductibus e propriis: quamvis dilutus in altas
Aſſurgit ſpumas, cum conquaſſatur: odore,
Atque ſapore caret; laticis nam copia major
Spiritus exuperat vires, oleique, ſaliſque:
Permixtuſque tamen variis ex indole rebus
Eſt fermenta parare potens, dictuſque ſaliva.
Hic etiam lenta exprimitur pituita palato,
Et linguâ exprimitur: tenuis, cum manditur, aer
Inſinuat ſe ſe pariter: quæ miſta ciborum
Dentibus attritam abſolvunt tria corpora maſſam.
Incipit interior paulatim gliſcere motus
Partibus his variis: tandem ſic maſſa ſubacta
Per patulas deglutitur molliſſima fauces;
Ventriculumque ſubit: clauſus fovet uſque calorem
Ventriculus, rigat innumeris quem ductibus humor
Diſſimili ingenio, proprius quem Muſculus arctat,

Quem-

Quemque agitant, circumque premunt abdominis ictus,
Et ſepti vires tranſverſi, & proximæ aortæ.
Preſſus tot varii, variò tot more liquores,
Ingeſtamque terunt maſſam, recoquuntque ciborum.
Vertitur in liquidum hæc tandem tenuata cremorem,
Plerumque albentem, & fibrarum concita motu,
Viſceribus cunctis, quæ pulſant undique circum,
Pellitur, & patulo petit Inteſtina pyloro,
Acceptum verò chylum mox tenuia purgant
Et felle, & ſucco, quem Pancreas exprimit illic.
Fæcibus excluſis, remanet tum lacteus humor.
Sed fæces mutant craſſa inteſtina receptas,
Et motu trudunt circumpellente per alvum.
Lacteus interea minimos cremor ille meatus
Occupat, (iſtorum aptatur bene quippe figuris)
Et per candentes defertur denique venas,
Ciſternamque ſubit, lymphæque ſibique paratam.
Hinc ductus per chyliferos immittitur in cor,
Mox & iter claudunt valvæ, prohibentque regreſſum:
Sanguineos intrat latices, junctuſque cruori
Pellitur in venas cordis ſalientis ab ictu:
Solvitur, & teritur, magis & purgatur, & omnes
Corporis excurrit miſtus cum ſanguine partes
Ipſe etiam tandem ſanguis, cui pabula præſtat,
Unde ſuas renovat mortalis Machina vires,
Sic Phrygii refluis Mæandri fluctibus unda
Ludit, & inſtabilis, ſinuoſo & devia lapſu
Effugit, occurritque ſibi, refugitque frequenter,
Immenſum donec ſe ſe diffundit in æquor,
Ipſa etiam immenſi tandem facta æquoris unda.
    Sed tamen in morbis bis ſeptem ſæpe diebus
Suſtentantur aquâ, & quandoque diutius ægri
Illa etenim reparat fractas in corpore vires,
Dum valet infeſtos detergere pura liquores,
Frigida dumque valet febrilem extinguere flammam,
Dum rigat, emollitque arentes humida fibras.
Quin etiam corpus per ſe nutrire putandum eſt;

Digitized by Google

Namque cibi in latices tantùm tenuantur aquoſos,
Ut poſſint aluiſſe animal, vitamque fovere.
Nec minus & latices ipſi pars magna cruoris,
Vitales ſervant curſus, motumque perennem,
Relliquiaſque vehunt ſecum, revehuntque ciborum,
Quæ latuere diu, variiſque in flexibus hærent.
Adde quod, e gelidà cryſpatis undique fibris,
Spiramenta cutis cum precluduntur, alentes
Particulæ interius remanent, vitamque tuentur.
Sic incluſa diu vivit fax cerea vitro,
Ethera cum minimà perſpirant pervia rimà,
Aere quæ citius jam diſſlaretur aperto.
Impaſtus longo ſic tempore vivit iners Glis:
Tota illi dormitur hyems, ſomnuſque ſaginat:
Sopitum: tenues etenim pinguedo ciborum
Adſciſcit, retinetque tenaci glutine partes,
Nec ſolvit ni luna quater perfecerit orbem.
Abſiſtas ergo, cedat ne debilis æger,
Ante diem properare cibos, quot damna ſequentur,
Si timor incautum teneat te! concita morbo
Bella gerit natura, ſuas & provida vires
Exerit in morbum, rapidiſque fluentibus undis
Educit fœdas ægro de corpore ſordes.
Dum tantum molitur opus, res parva ciborum
Diſtrahit immiti certantem cominus hoſtem,
Subducitque illi robur, minuitque vigorem.
Nam quid agat? morbi conetur pellere cauſam?
An triviſſe cibos? impar ſuccumbet utrique.
Non ſecus ad caulas paſtor cum retrahit agnos,
Impaſtum venientem ad ſe ſi forte leonem
Conſpexit, mora nulla, inſurgens obvia monſtro
Tela rotat, vitatque ungues, denteſque minaces.
Saucius immanè ille fremit, tollitque comantes
Impavidus cervice toros, & duplicat iras.
Inſtat agens Paſtor contra, & nova ſpicula torquens,
Laſſus ubi natum cernit prope fluminis undas,
Præcipitemque metu, atque inopinà morte cadentem,

Hæret

Digitized by Google

Hæret inops animi, nunc hunc, nunc reſpicit illum,
Hunc ſed non ſervat dubius, non enecat illum:
Protinus indignans celeri ruit improba ſaltu,
Extinctoque patrem diſcerpit bellua nato.

Sæva nocet pietas ægrum nutrire, malorum
Dum vigor ardet adhuc: fœdis alimenta putreſcunt,
Sordibus immiſta, & creſcunt nova pabula morbo:
Turbidus occludit minimos liquor ille canales;
Æſtuat impatiens, & pota relabitur unda,
Obſeſſumque gravat ventrem, pectuſque fatigat:
Eliſæ ſaliunt venæ ictibus interruptis:
Alternos minuit curſus jam deficiens cor.
Et tumidus non ſperatâ morte occubat æger.

Nunc verò ut certis hæc tu cognoſcere ſignis,
Quoque cibos ægris præſcribere tempore poſſis,
Accipe. Lingua notas primas fidiſſima monſtrat.
Illa ubi, deterſis maculis, jam munda videtur,
Utque ſolet mollis, fluidàque imbuta ſalivâ,
Tunc viget irrequieta fames: tunc viſcera morbi
Sordibus ipſa etiam ſunt exonerata malignis.
Conſenſu gaudent nam lingua, & viſcera magno,
Continuiſque ſimul tunicis obducta teguntur.
Urinæ latices tunc excernuntur aquoſi,
Sanguine jam puro: ceſſat tunc arida febris,
Vel ſaltem parte ex magnâ furibunda remittit.
Et tunc tempus erit tenuem præſcribere victum,
Qui facilis poſſit ſtomacho languente reſolvi:
Jura velut carnis, croceuſve in jure vitellus,
Fruſtula vel panis. Torpens ut digerat ergo
Hæc quoque ventriculus, quantum ſatis æger ab undis
Abſtineat, rurſus mox poturus, & inde
Paulatim potum præſtat minuiſſe, cibumque.
Addere paulatim: nimia indulgentia victus
Ægrotis, ſaniſque nocet, ſemperque nocebit.

Ante Jovem, menſæ convivia nulla parabant:
Nulla injucundum capiebant fercula guſtum
Nec ſcibant mollire cibos, flammiſve adolere:

Glan-

Digitized by Google

Glandiferas inter quærebant omnia quercus,
Atque ſua in medium tellus quod ſponte ferebat,
Id ſatis: hoc lauto curabant corpora dono.
Irrigui fontes, claræque in fontibus undæ,
Arentem ſedare ſitim, fluviique vocabant;
Vivebantque homines longum, recteque valentes.
Ille epulis primus menſas oneravit opimis,
Ille coronato ſtatuit nova pocula Baccho,
Ille Diis cinxit ſacras indagine ſilvas,
Venarique canes juſſit. Tunc nare ſagaci
Scrutari, inventaſque feras agitare moloſſi.
Tunc capræ, cervique leves, leporeſque fugaces,
Et quamvis dentatus aper, forteſque leones
Miſſilibus ſterni telis, ferroque cruento.
Tunc primum in fluviis piſces, atque æquore primum
Cæruleos caſſes, calamos, & retia, naſſas,
Et curvos ſenſere hamos, duroſque tridentes:
Nec potuit pietas cœli ſervare volucres:
Tum laqueis illas etiam, pediciſque doloſis,
Et ficto inventum garritu, & fallere viſco.
Tunc variæ eſcarum variis pro guſtibus artes
Venere; inque dies ſemper mox crevit edendi
Ingluvies: calidis miſcentur frigida, amaris
Dulcia: cumque acidis auſtera, & pinguia pugnant:
Acria cum ſalſis: maleſana cupedia regnat,
Et patriæ ſordent epulæ: quod mittitur Indis,
Aut Oriente venit, quicquid ſub ſole cadente
Dives alit tellus, cenſu perquiritur omni:
Omnia venter habet: tantum ſtat vita palato.
Quid mirum pede ſi tacito immatura venit mors?
Quid ſi crudeſcit tantorum turba malorum?
Quod ſatis ergo para, ut vivat jam languidus æger;
Cumque valet, ſimili ſemper ratione regatur.
Sed caſus varii, atque inopino eventa periclo,
Ægrorumque vocat languor, quibus obſuit unda.
Tu vatem, tu Phœbe, mone: labor ultimus inſtat;
Da finem ærumnis Pater, & mihi ſuffice vires.

Adver-

Digitized by Google

Adverſis quot aquis veniant incommoda, dicam
Unius exemplo; cura & repetatur ab uno,
Ægros quæ varios variò diſcrimine ſpectet
Arte pari, ætatemque notet, vitæque tenorem.
Forte graves fugiens curas, viteſque labore
Ut reſtauraret fractas, diſceſſerat urbe
(*a*) Terlicii Cuſtos, hominum, templique ſacerdos
(*b*) Tegolides, tota quo non ſapientior alter
Fulget Japygia, & curis dulcedine captus
Rus petiit, ſervat quod adhuc de (*c*) ſubere nomen.
Antiquum, & vetus hic ſurgit tibi, Virgo, ſacellum,
Hic ſpecus in medio veneramur, ubi tua quondam
Effigies dumos inter divina latebat.
Virginis ò noſtræ ſalve Cœleſtis imago,
Per quam tot veniunt nobis miracula rerum;
Salve, ſupplicibus ſemper celebrabere votis,
Et rata tu facies ſemper quoque vota precantum.
Venerat huc jam Tegolides, ubi gramina vernant
Tempus in omne, & ubi redolent in gramine flores,
Et violæ, atque roſæ, & niveo ſuffuſa nitore
Lilia, narciſſi, atque immortales amaranthi.
Sed licet emotæ curæ, & clementia cœli
Corporis, atque animi potuiſſent multa ſaluti
Prodeſſe: interius latitabat dira malorum
Cauſa tamen: Primis ignavia lenta diebus
Sponte ſuà, atque gravis cunctos dolor occupat artus;
Deficiunt animi, vomituſque & nauſea turbant
Languentem, ſtomachum: ſævit cephalalgia: mentem,
Somnia terrificant: ſtimulis adſtringitur alvus:
Frigore membra tremunt: ſequitur mox fervidus æſtus,

Defi-

(a) *Terlicium urbs Apuliæ non ignobilis.*
(b) *Tegolides.* Joſeph Nicolaus Laſegola *Jerlicienſis Archipresbiter, vir pietate, morum ſuavitate, ac multiplici eruditione ſpectabilis.*
(c) *Vulgò* Soverito, *Villa amœniſſima ſecundo a Terlicio lapide, ubi olim in exeſo antro, dumetis, lapidibuſque obruto: Imago Beatæ Virginis in tabella depicta fuit inventa, ibique ipſi Virgini dicatum ſacellum.*

Areſcunt fauces: oppreſſum pectus anhelat.
Septima lux aderat: creſcunt ſymptomata: febris
Bacchatur, livenſque cutem ſimul Ecthyma turpat,
Membraque reſpergit gelidus languentia ſudor:
Truditur obſtructo ſtillans urina canali,
Et vix concreto ſaliunt e ſanguine venæ;
Et Chiron aberat: belli formidine capti
Vicinas urbes famuli petiiſſe timebant;
Tempore nam tali Germanus mœnia Bari
Liquerat, & noſtros armato milite campos
Cingere multa timens properabat ad uſque Butuntum.
Quid gens illa rudis poterant diſcrimine tanto?
Sæpe Deos, ſæpe aſtra vocant crudelia: lympham
Expediunt, calidamque ſimul, gelidamque miniſtrant.
Serius expectant nunc, ſed nunc ocyus inſtant,
Et dum potatur congeſta cibaria trudunt:
Nec mora, nec requies, permiſcent omnia, quando
(Nona dies vix orta polo dimoverat umbras)
Fit fragor horribilis, reboat perculſus Olympus,
Dum latè cava terrificis horrentia bombis
Æra tonant, dumque ignivomis vibrata caminis
Aera per liquidum, ſtrepitanſque, furenſque volat glans.
Parietibus clauſos lapidoſis mœnia circum
Urgebat tandem Germanos fortis Iberus,
Cui munimen erat firmum ſine tegmine pectus.
Plumbea non illum terrebat grando, nec ignis
Fulmineus, juvenum cædes nec maxima. Pugnam
Jam magis ingeminat non æquo Marte malignam:
Concurrit: primo erepto, non deficit alter
Bellator: pede pes hæret, denſuſque viro vir.
Hic ſudibus lapidum, ferroque evertit acervum,
Turritaſque domos ille, & fabricata Trapetis
Aggreditur ſepta, hic oppugnat cominus arcem,
Clauſtra cucullatis quæ longa minoribus ante,
Germanis ſervat nunc propugnacala: circum
Unde cavis certant flammantia tela feneſtris
Intorquere: ardet bellum: victoria pendet

An-

Digitized by Google

Anceps, & nunc hi, nunc illi expellere tendunt.
Qualis ubi ignotis exultans fluctibus ingens
Nilus, & Æthiopum ſeptena per oſtia campos
Invadens rapidas tumidum, vaſtoque fragore,
In mare fert hyemes, mediis elapſus ab auſtris,
Cum propiore nives jam ſole Canicula ſolvit,
Accipit alternis undas, & rejicit æquor:
Cedit, & obſiſtit, fluctus & fluctibus urget,
Horriſonoque fremit perculſum murmure cœlum;
Sic peditum turmæ miſcent ſimul undique pugnam.
Aſt equitum Ductor pugnandi tempora nactus,
Hiſpanos concuſſit equos quà ſuſtinet hoſtis
Bellantes pedites, equitumque exercitus omnis,
Compoſiti hinc, illinc campo ſpatiantur aperto.
Irruit ut cœlo demiſſum fulmen ab alto,
Heſperius ſonipes, laſſiſque inſurgit habenis,
Et lævum hoſtile invadit violentior agmen
In latus. Extemplo rumpuntur quadrupedantum
Pectora pectoribus: ſubitus timor occupat Hunnos,
Turbatique ſtatim fugiunt, ſociiſque relictis,
Imbelles animas curſu tutantur equorum.
Tunc latere e dextro paulatim cedere campo
Ipſi equites, etiam preſſi gravioribus armis,
Incipiunt: mox præcipites dant terga, Ducemque
Multa minis, precibuſque parantem dicere linquunt.
Ultimus, & parvà tandem comitante catervà,
Nec minus ille frmens properat decedere bello.
Tunc vindex creſcit furor, & pugna aſpera ſurgit:
Intonat hinc, atque hinc polus horribili reboatu:
Undique crebra furit ſtridens glans plumbea, quantus,
Sive cadente Arcturo, ſive oriente Capellà,
Verberat imber humum: quanta aut ruit æthere grando
Æſtate in medià, & molles diſpergit ariſtas.
Ut folia autumno in ſylvis, ſpirantibus auſtris,
Semianimes miſti fugientûm cæde virorum
Sic labuntur equi: reliquos mox colla catenis,
Qui ſuperant, vinctos traducit victor Iberus,

Digitized by Google

Magnaque Tegolides villâ, quà forte jacebat,
Pars captivorum nectuntur compede: furtim
Illic ſperabant ſe ſe occultare latebris.
Armorum ſonitu horrendo, motuſque tumultu,
Languidus ille licet, perculſus membra pavore.
Multa vomens, ſtagnantem undam, ſordeſque repellat,
Congeſtas, & mox turbata reſolvitur alvus,
Continuoque fluit tumidi fœdiſſima ventris
Proluvies, ſenſimque febris furioſa remittit.
Non tamen illa prius languentia membra reliquit,
Quam ſua bis creſcens repararat cornua Phæbe.
Temporis hoc ſpatio tuſſis quatit eſtera pectus
Naturâ infirmum, gelidâ, calidâque ſubinde
Jam magis affectum: laſeris, malvæque virentis
Sorbitio (a), Zythumque, & (b) Janthina liba dabantur,
Quæ tuſſis ſtimulos poterant mulcere furentes,
Quin (c) Hypoſarca etiam fluitabat corpore toto:
Præcipuè intumuere pedes; nam copia molles
Major aquæ irrumpens compleverat undique fibras.
His medicina malis, albenti infundere vino
Profuit abſinthj cineres, cinereſque geniſtæ,
Potio quæ valuit ſtagnantem ſolvere lympham;
Et per paulatim urinæ depellere ductus.
Nec tamen idcirco cunctis obſtructio cepit
Viſceribus: quorum faſtidia longa minutæ
Et chalybis partes, & quæ rhabarbara Seres,
Optima tranſmittunt, ammoniacumque ſalubre
Gummi, & amara aloe, & nux dicta myriſtica tandem
Præſidiis vicere ſuis; ſed copia potæ
Magna malo invalidum vel adhuc graviore tenebat.
Artubus in cunctis laſſata ligamina Varum,
Loripedemque illum efficiunt, trepidantque lacerti,

Peſ-

(a) *Zythum. ζῦθος. Communiter Cereuſia: hic ſumitur pro aqua hordei.*
(b) *Jantina liba, hoc eſt liba violarum.*
(c) *Hypoſarca inocaina ſpecies Hydropis totum corpus infeſtantis.*

Peſque, manuſque labat, digitis ſine lege retortis,
Irrita multa diu poſtquam medicamina Chiron
Tentavit, Sacram Tyrrheno in marmore tandem
Ænariam venit fractis jam viribus æger,
Indigetemque Deam tali eſt tunc voce precatus,
Quæ non curandos potis es depellere morbos,
O ſola Inarime, noſtros miſerata labores,
Affer opem miſero: vita hæc eſt mortis imago,
Nec tamen occubuiſſe datur: ſi vivere præſtat,
Averte afflicto tantam de corpore peſtem,
Et veteres vires infirmis ſuffice membris.
Sic tua BORBONIO ſemper ſub nomine tellus
Nectareos fundat fœcunda vite liquores;
Sic Pomona novos educat ab arbore fœtus
Dum matureſcant veteres; ſic aurea fructus
Mala citrus ſemper viridi ſub fronde recondat.
Nec minus ipſe tibi primas violaſque, roſaſque,
Lilia, narciſſoſque legam, primoſque hyacinthos,
Et tua feſtivis ornabo altaria ſertis.
Secreto (a) Inarime voces languentis ab antro
Senſit: eam circum nymphæ ſua munera obibant.
Balneaque, & Thermas ſimul, atque Hypocauſta parabant
Aurea cæſariem (b) Cryſeis (c), Hydrargyris alba,
Fronte minax (d) Chalybe, atque genas (e) Chalcantias atra,
(f) Nittolis, (g) Aſphaltis, (h) Chalciſque, & (i) Alumias, atque
(k) Leucogee, & ſalibus mordax (l) Galatea marinis,
Quæque ſuum quamvis durum (m) Magneſia ferrum
Allicit, & ſimili ſecum conjungit amore.

N 2 (a) Ca-

(a) *Sub Nympharum perſonis hic exprimuntur varia foſſilium genera, & primò nomina Inarimes intelligitur Dea tutelaris totius Inſulæ Enariæ.*
(b) *Cryſeis a* χρυσὸς *intellige aurum.* [c] *Hydrargyris.* ὑδραργυρεὶς. *argentum*
(d) *Chalybe, Ferrum.* (e) *Chalcantias, Vitriolum.* (f) *Nitrolis, Nitrum.*
(g) *Aſphaltis.* ἄσφαλτος, *Bitumen.* (h). *Chalcis a* χαλκὸς, *Cyprium.*
(i) *Alumias, Alumen.* [k] *Leucogee, Sulphur.* (l) *Sal.* [m] *Magneſia, Magnetem.*

Digitized by Google

(*a*) Cadmiæ æroſa, & flammis accenſa (*b*) Pyrite,
Lutea viſu (*c*) Ochre, & ſoror Armenis, altera virgo,
Altera lactabat tunc primum enixa gemellos,
Omnes Ænarides, celebres medicatibus omnes.
Tunc tanto pectus gemitu percuſſa precantis
Inarime, eja, inquit, deponite cepta ſorores,
Atque huc languentem vobiſcum ducite ad antrum.
Prominet in Pontum rupes altiſſima: nomen
Fecit acus: (*d*) ruptis ingens hic cautibus antrum
Ingentes aperit fauces, quas unda refuſo
Occupat inſiliens pelago: tunc montis ad inſtar
Curvatur, nutuque Deæ patet obice nullo
Ingreſſus, ſiccisque premit veſtigia plantis
Tegolides: magnos nullà miratur ab arte
Ingenio natura ſuo quos fecerat arcus.
Miratur vivo formata ſedilia ſaxo
Sponte ſuà, & centum variis de fontibus undas,
Innumeros unde poſſunt quæ vincere morbos.
Hinc ſolo (*e*) Gurges erumpit nomine parvus,
In mala ſed validis ſemper virtutibus ingens.
(*f*) Argenti venis illinc, (*g*) aurique redundat
Lympha, & (*h*) Balneoli ſcatebræ, ſcatebræque (*i*) Gradonis,
(*k*) Lixivj, & (*l*) Ferri, (*m*) Nitroliſque, & (*n*) Coctilis unda,
Et tua, (*o*) Caſtilion, quamque alma (*p*) Ponizaris auges.
Hinc (*q*) Saxi, (*r*) Cytharæque lacus, laticeſque (*s*) nitroſi:
Quas (*t*) Furnellis aquas, & quas (*u*) Fontana recludit,
(*x*) Dentibus, & quæ (*y*) gingivis, (*z*) ſtomachoque medetur.

Hàc

(a) *Cadmie*, *καδμεῖα*, *lapis Calaminaris*. (b) *Pyrite*, *πυρίτης*, *lapis igniarius*. (c) *Ochra ὤχρα*. *Terræ ſpecies*. *Armenis* Gleba armenia. (d) Promontorio dell' aguglia. (e) *Parvus Gurges*. *Indig.* Bagni di Gurgitiello. (f) Bagni dell'Argento. (g) Bagni dell'oro. (h) Bagnitello. (i) Bagno di Gradone. (k) Bagno *vulgo* della Colata (l) Bagni del Ferro (m). *Fons Nitrolis*. Fonte di Nitroli, *Indig.* Neuttuoli. (n) Bagno *vulgo* del Cotto. (o) Bagno di Caſtiglione. (p) Bagni di Santa Reſtitura. *Dicitur Ponizaris utpote Ponizarii in Africa nata*. (q) Bagno del Saſſo. (r) Bagno di Citàra. (ſ) Bagno del Nitroſo. (t) Bagno di Forniello. (u) Bagno di Fontana. (x) Bagno de' denti. (y) Bagno delle gingive. (z) Bagno dello ſtomaco, *alias* del Cappone.

Hàc fontes, (a) Salicete tui; (b) Sinagallaque currunt,
Quique tuum referunt nomen, (c) Joviane, (d) plagæque,
Roma, tuæ, quique e (e) medià regione viarum,
(f) Speluncæ, (g) Ulmique, & (h) Capitelli nomine dicti.
Retis fons illac: & (i) Sub cellaria, (k) vallis
Et quæ nomen habet, (l) Montanaque proſilit unda.
Ut jam muſcoſi tandem ad penetralia Tecti
Perventum, menſas ſtatuunt, & vina coronant
Germanæ: ſacris fumant altaribus ignes,
Totaque Panchæo circum domus halat odore.
Et tunc Inarime fragranti plena falerno,
Accipe quiſquis ades carcheſia: ſacra Parenti
Naturæ libemus; ait, quæ cuncta gubernat:
Naturam rerum artificem, Nymphaſque precamur,
Queis terra latici miſcere metalla ſub imà
Eſt jam ſorte datum, Thermaſque parare ſalubres.
Igne ſuper puro fudit ter pocula, purus
Ter circum micuit flammis crepitantibus ignis.
Talibus auſpiciis ſic læta ſororibus infit.
Continuo manibus languentem mergite veſtris:
Caſtilionis opem primùm nunc ſentiat: inde
Litus ad Ænarium calidà ſpargatur arenà,
Reſtituit veterem membris qua (m) Virgo rigorem.
(n) Dixerat, & dicto citius mandata faceſſunt.
Sulphura Leucogee, ſalſuginem alumias, & tu
Particulas ferri Calybe: Magneſia jungit
Herculei fragmen ſilicis, lymphæque tepeſcunt.
Invalidus merſatur aquis, lentoque calore

(a) Bagno di Soliceto. (b) Bagno di Sinagalla, o di Siragalla. (c) Bagno del Pontano. *Nomen excepit a Joviano Pontano celebri ætatis ſuæ Poeta: Is n. Balnei hujus herus erat.* (d) Bagno di Piaggia Romana, *Indig. etiam* Bagno del ferro, e della carta Romana. (e) Bagno di mezza via, (f) Il Bagno della Spelonca, e della Scrofa. (g) Bagno dell'Elmitello, o di Dojano, o delle Principeſſe. (h) Bagno del Capitello. (i) *Fons Retis, Indig.* La Reta: Caſa micciola, e lo Lacco. (k) Bagno *vulgo* del Succellaro. (l) Bagno della Valle d'Umbraſco. (m) Bagno di San Montano. [n] *Arena di S. Reſtituta.*

Luridus affectis ſudor fluit undique membris.
Abſtergunt madidos nitidis mantilibus artus,
Ambroſiâque fovent laſſum, ſtratiſque reponunt.
Sed jam flaventes torrebat Sirius agros:
Litore foſſa patet: jugulo tenus abdit arena
Linteolo obductum corpus, ne puſtula cæcis
Intumeat flammis: Tyrio tentoria velo
Phœbæos arcent æſtus, umbramque miniſtrant.
Ingratum interea circum lenire laborem
Certabant dulci Nymphæ modulamine cantûs.
Ebibit hic ſabulum per aperta foramina ſordes,
Tenduntur ſicco laſſata ligamina ab æſtu,
Articuliſque novæ rediere in priſtina vires,
Hæc ego de morbis gelidâ calidâque fugandis
Cantabam, quartum CAROLO VALBURGA Parenti
Cum natum peperit, qui ſanguinis incrementum
BORBONII Regno longos producat in annos,
Pacatiſque diu geminet nova gaudia terris.

Finis Libri Quarti.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Rerum, quæ in hoc Opere ex ordine notanda occurrunt.

LIBER PRIMUS.

De potu aquæ in uſus medicos dicturus Auctor, ejus mores, naturamque deſcribit a v. 46. ad 60.
Unde Fontes ſuam ducant originem: variæ Philoſophorum opiniones: ab Oceano alii, a v. 61. ad 82.
Alii ex viſceribus Terræ. a v. 83. ad 100.
Alii ex pluviis, ſeu nivibus. a v. 100. ad v. 145.
Hinc majorum Fluminum originem recenſet. ibidem.
Quæ ad uſus medicos potiores ſint aquæ. a v. 146. & deinceps.
Primas tenet vices aqua pluvia, quæ tempore æſtivo decidit; nam levior, & purior. a v. 150. ad 162.
Quæ, licet pluviæ, impuræ ſint aquæ. a v. 163. ad 180.
Quam puriſſima utendum in morbis. ibidem ſub finem.
Fontanalis aqua ſecundas habet; varia tamen eſt pro conditione locorum, unde variam aquirit facultatem, variumque colorem. a v. 180. ad v. 228.
Ex his quæ magis opportuna ſit ægris bibendo. a v. 229. ad 236.
Tertio loco veniunt aquæ Fluviatiles: ex his quæ meliores. a v. 237. ad v. 247.
Quarto veniunt quæ ſervantur in puteis: quæ plerumque vitioſæ. a v. 248. ad 252.
Aqua ex glaciæ, & nive ſolutis plerumque infenſa ægris. a v. 253. ad v. 260.
Aqua ſtagnans peſſima, & omnino in morbis vitanda. a v. 260. ad 264.
Defectu aquæ puræ, vitioſæ etiam, & graviores purgantur; & quomodo. a v. 263. ad v. 291.
Nivis, & glaciei ingenium. a v. 292. ad 318.
Aqua frigida laxis fibris prodeſt epota; & qua ratione. a v. 316. ad 329.
Cum quandoque præſtet caſidam bibere in morbis, quid ei per ignem facultatis addatur. a v. 330. ad v. 359.
Uſus aquæ in morbis unde primum ceperit. a v. 358. ad 374.
Unde deinde ceperit incrementum, cuique debeatur. a v. 375. & deinceps.
Ex Helmontii ſententia, aqua principium omnium rerum. a 490. & deinceps.
Ignis, aer, & terra numquam arte mutantur; ex Boerhavio. a v. 589. ad 594.
Aquæ ſimplicis naturam noviſſe perdifficile eſt: nulla vis ab aere, cui commixta eſt, eam valet ſeparare. a v. 594. ad 605.
Quæ primo fuit aqua eadem eſt, ſemperque erit, licet imminui, mutarique videatur. a v. 606. & deinceps.
Quid de quibuſque puris elementis dicendum. a v. 605. & deinceps. ad finem uſque.

LIBER SECUNDUS.

Hoſmannum, qui in aqua medicinam univerſalem poſuit, loquentem inducit, humanumque corpus per ſuas partes deſcribentem. a v. 12. & deinceps.

Quilibet morbus, aquæ cedit, quacumque ex cauſa proveniat. a v. 59. & deinceps.

Aqua cuique convenit naturæ, temperiei, & ætati; atque ægris, ſaniſque æque prodeſt: & primum qua ratione bene valentibus proſit. a v. 62. ad 80.

Morbos enumerat, quibus præſertim aquæ potus valeat mederi. a v. 82. ad v. 118.

Univerſis morbis cujuſque generis aqua medetur: & primum acutis febribus; de quibus plura verba; deinquæ febrem plerumque comitantur; quæ ſymptomata vocantur. a v. 120. ad v. 175.

Aqua calida laxat fibras, frigida tendit, humiditatem impertit, ſuperfluum dirimit. v. 177. & deinceps; ubi fuſius enumerantur quæ per eam aguntur in corpore.

Uſum frigidæ in Balneis Euphertæ, & Antonio Muſa fratribus deberi inventum. v. 210. & deinceps.

Charmis Medicus Maſſilienſis uſum frigidæ ſibi vendicat. v. 224. & deinceps.

De Thermis Romanis. v. 229. & deinceps.

De Thermis Atlanticis. v. 235. & deinceps.

Milites Romani, poſtquam ſe exercuiſſent in Campo, in Tiberi adhuc ſudore madentes enatabant. v. 239. & deinceps.

Salſam e Mari in Thermas a Nerone deductam. Thermarum harum per ſuas partes deſcriptio. v. 251. & deinceps.

Unguentorum plura genera recenſet, quibus ungebantur Paleſtritæ. a 313. ad 325.

De quatuor pilæ generibus, quibus olim ludebant Romani. v. 328. & deinceps.

Varia ludorum genera, quibus juvenes detinebantur in Xiſto. v. 334. & deinceps.

Triplices ibi cellæ, frigidaria ſcilicet tepidaria, & calidaria. v. 373. & deinceps.

Innumeros ægros momento temporis aquæ frigidæ ope reſtitutos ex Coſtæo, & Vandex. v. 404. & deinceps.

Non ſemper frigida utendum in morbis ex Galeno; ſed modo frigida, modo calida, modo tepida, pro ratione morborum, ætatis, regionum, & cauſarum, a v. 449. & deinceps.

Germani, Celtæ, Rutuli, & alii, infantes vix natos fluminibus immergebant; quod in more ponendum ab omnibus minime eſt; & quare. a v. 458. & deinceps.

Qua ætate, quo anni tempore, & qua corporis conſtitutione liceat frigida uti; ejuſque rei ratio. a 472. & deinceps.

Oleo, & fricationibus utendum poſt loturam. a v. 485. & deinceps.

In Febribus putridis frigidæ potus prodeſt, & quare. a v. 492. & deinceps.

In morbis a cruditate humorum provenientibus, Frigida minime utendum: & quare. a v. 501. & deinceps.

Quoniam contraria contrariis curantur, frigida proderit Febribus ardentibus ex Galeno; ſed qua ratione danda. v. 516. & deinceps.

In Febribus hecticis quomodo & quando

do frigida utendum. a v. 523. & deinceps.
Medico in curationibus ſpectanda natura, morbus, ætas, & temperies. ib.
Nullum in corpore principium; ſed quælibet ejus pars, principium eſt. a v. 548. & deinceps.
Omne animal, & quidem homo, igné, & aqua conſtat. a v. 553. & deinceps.
Hæc duo ſe ſe invicem temperant. ibidem.
Medico hæc duo in corpore moderanda. ibidem.
Calida frigidis, & frigida calidis curantur. v. 569. & deinceps.
Sed Medico videndum quandonam frigida, vel calida adhibenda. ibidem.
In Febribus a bile provenientibus aquæ potus adhibendus, & quare. v. 600. & deinceps.
Aqua ingens remedium, ſed magnum exigit ingenium. v. 604.
Secundum Davinum, vino calido ſua eſt facultas in morbis. v. 610. & deinceps uſque ad lib. finem.

LIBER TERTIUS.

QUa lege, ac methodo adhibenda aqua in morbis, ſtatim docere aggreditur, uſque ad v. 24.
Illuſtrium virorum plurimos recenſet, qui ſcribendis carminibus plurimum valuerunt. a v. 25. ad 57.
Multa notanda Medico, priuſquam ægris aquam miniſtret, egregii Ducis exemplo, ad v. 66.
Primum aqua ægris danda quampuriſſima, & ſimplex; neque amygdalarum ſucco, neque nitro, neque aliis rebus immiſcenda. a v. 66. & deinceps.
Cum morbus invaleſcit, tunc tempus bibendi, & qua ratione; excepto ſi Paroxyſmi interveniant. a v. 99. & deinceps.
Præſagia morborum non eadem apud nos, quæ apud veteres fuerunt. a v. 116. & deinceps.
Aqua gelida ſudorem pinguem, & frigidum cohibet, & qua ratione. a v. 117. & deinceps.
Eadem ſingultus removet, æquam venæ pulſationem reddit, recludit urinæ canales, ventris tumoribus, & doloribus opem fert, febrium ardoribus, medetur. a v. 124. & deinceps.
Si Phrenitis interveniat poſt aquæ hauſtum, mortalis eſt; ſecus ſi ante ſupervenerit; potuque gelide ei remedium præbetur. a v. 163. & deinceps.
Sopori etiam auxilio eſt gelida, dummodo per canales fluat. v. 168.
Si æger tuſſi impediatur, ne aquam deglutiat, malum ſignum. v. 171.
Aggreditur cauſas, & ſigna morborum oſtendere; primaſque aeri tribuit, unde ſæpe Febres; quibus qua ratione medendum. a v. 180., & deinceps.
Hoc genus Febrium frequens in Italia, Romæ, & Neapoli præcipue. v. 208.
Harum cauſa fodinis, lacubus, & ſtagnis tribuenda. a v. 209. & deinceps
Si morbus crudeſcere incipiat, gelidam bibendam præbeat Medicus, & multam: & quare. a v. 223. & deinceps.
De Febribus, quæ vulgo *maligne* vocantur, cognitu difficiſibus: quomodo dignoſcuntur, & qua ratione curantur. a v. 289. & deinceps.
Febres Acmaſticæ, vulgo *continue*, multa item gelida diſſolvuntur. a v. 304. & deinceps.

Fi-

Digitized by Google

Febres Eppacmaſticæ, forti primum medicamine ſumpto, gelida pariter curantur. a v. 324. & deinceps.

At ſi fluor ventris ſuperveniat, tunc æquis temporis ſpatiis bibenda tradatur. a v. 338. & deinceps.

Febres algidæ calida curentur, qua pituita diſſolvatur. a v. 347. & deinceps.

In Febribus duplicibus intermittentibus modo calida, modo frigida utendum pro ratione naturæ, & ſanguinis. a v. 357. ad 366.

In Febribus mortalibus difficillimæ curationis, tepida potius utendum, a v. 367. ad 393.

In Hemitritæa, ſeu ſemitertiana, quæ triplicis eſt generis, aſſiduis aquæ hauſtibus utendum; prius tamen ſigna inſpicienda, quæ notantur. a v. 394. & deinceps.

In Febribus, quæ ab obſtructionibus gignuntur, nulla re magis, quam frigida utendum; præcipue ſi Necroſis inducatur, vel Parotis, a v. 431. & deinceps.

Febribus etiam heticis, cum non proveniant ex pulmonis vulnere, recte occurritur aqua, tempore tamen, & menſura data. a v. 460., & deinceps.

De Papulis, (*vulgò il Vajuolo*) cujuſque generis ſint, tepida in his prębenda, ita tamen ut ne ſolvat ventrem. a v. 470. & deinceps.

De Pleuritide, quæ quandoque pulmones afficit: hoc in morbo tepida tantum utendum. a v. 488. & deinceps.

De Angina, cujus tres ſunt ſpecies, ut videre eſt in adnotationibus: huic morbo, non potu, cum æger deglutire nequeat, ſed aquæ calidæ ſuffitu, medendum; in Synanche autem ſpuria calidæ ſubſidio eſt potio. a v. 509. & deinceps.

De Aurugine (*vulgo Iterizia*) vide in adnotationibus, quid ſit. Aquæ potu hic morbus levatur; at ſi jecur inde obdureſcat, ei nullo auxilio aqua eſt. a v. 535. & deinceps.

De Eryſipelate, quid ſit. Tepida huic occurritur, ſed moderate ſumpta, & quare. a v. 542. & deinceps.

De Febri cum torminibus, unde Præptoſis quandoque, & Teneſmus producuntur: huic morbo gelida abunde ſumpta medetur. a v. 566. & deinceps.

Choleræ etiam frigida præſto eſt vel unius diei ſpatio. a v. 579. & deinceps.

Febribus intermittentibus nullum præſtantius remedium eſt cortice Peruano (*vulgo China*) gelida immiſto, & frequentius epoto. a v. 592. & deinceps.

Poſt diluvium morbi, qui minus ante, generi humano ingruerunt omnes, qui enumerantur. a v. 630. & deinceps.

Inter hæc mala tamen, noſtra ætas ſummos viros protulit, quorum ſtudiis recreemur.

Horum nonnulli, honoris cauſa ab Auctore enumerantur; præſertim Joannes Petrus Bergantini Cler. Reg. vir pietate, moribus, doctrina, eruditione eximius, dignuſque cui boni omnes faveant. Italici ſermonis mirus amplificator, plura eo paucis annis ſcripſit, quam quis pluribus excogitaverit; quorum multa, tenuioris utpote impenſæ, a Librariis ultro quæſita, ipſorum ære extant excuſa; plura vero ingentis & molis, & impenſæ, vel cudi cepta, & iniquo neſcio quo fato intermiſſa, vel æris inopia adhuc inedita, ſummo literarum detrimento latent in ſcrimniis. Quæ quidem, quo citius emergerent, ſtudioſis omnibus operandum eſſet, ut vel ipſe Auctor ex voto inops, ſicut mente, atque animo, ita pecunia polleret; vel aliquis pecunioſus, ſui bono, literarię Reip. utilitati, tantique Viri glorię conſulturus, ipſa de ſuo excudenda curaret. v. 685. uſque ad finem libri.

LI-

LIBER QUARTUS.

PRoſequitur cæteros, quibus aquæ potus præſto eſt, morbos enumerare; & primo de Apoplexia agit: quid ſit, & quotuplex. Potus aquæ frigidior huic medetur; & quando exhibenda a principio. a v. 42. & deinceps.

Paralyſis item, Spaſmos, & Epilepſia eodem modo gelida curantur; cum morborum horum eadem ſit cauſa. a v. 43. & deinceps.

Podagræ etiam, Chiragræ, Gonagræ, & Arthritidi egregie frigida medetur, ſed multa. a v. 54. ad 67.

Rheumatibus etiam prodeſt frigida, cibo omni ægris vetito, donec ſanguis labes deponat. a v. 63. ad 76. quod idem ſervandum ſi Febris acceſſerit cum accenſione linguæ, & urinæ: ſecus ſi pectus anhelet; tunc enim calida adhibenda, ad v. 80.

Saniei quoque medicinam aqua præſtat, modo ne frigida, nimiaque bibatur. a v. 80. ad 90.

Etiam in ſputu ſanguinis valet aquæ potus. a v. 90. ad 94.

Dolor colicus, & iliacus: diverſa horum cauſa, diverſus effectus. Primo calida, dein frigida his confert, interpoſita quandoque tepida; & quare. a v. 94. ad v. 113.

Cæliacis gelida jejunis præbeatur. a v. 114. ad 120.

Renum etiam ſubſidio eſt gelida: calculos explodit, urinæ ardorem ſedat, ſtimulos mejendi mitigat; ſed bibenda certa lege, & tempore. a v. 120. ad 127.

Hydropi quoque medetur aquæ potus. Hujuſce morbi duplex ſpecies, humidus ſcilicet & ſiccus: uterque deſcribitur: unda propellitur unda. a v. 128. ad v. 160.

Syphilus etiam (*vulgò Morbo gallico*) deſcribitur; cujus variæ traduntur, ſpecies. Aquę puriſſime potus huic morbo medetur: at primo paucis diebus ſtomacho jejuno bibenda. a v. 161. ad 198.

Hac ratione innumeri alii morbi, quos brevitatis cauſa pręterit, curantur. a v. 199. & deinceps.

Ratio victus in moibis deſcribitur: qua ratione pars fluida, atque ſolida nutriantur. a v. 203. e deinceps.

Septem dierum ſpatio ægri uno aquæ potu, & quandoque etiam diutius, ſuſtentantur, nutriunturque, & qua ratione. a v. 254. & deinceps.

Nimio cibo nutriuntur morbi, ſæpe etiam cum ægrorum interitu. a v. 302. & deinceps.

Ex linguę ſignis Medico dignoſcendum, ęger cibo indigeat, & quoquo tempore modice bibendum, a v. 311. & deinceps.

Priſcorum hominum victus: ab Jove luxus cępit in cibis; inde morbi: a v. 222. ad 367.

Extremo loco quibus aquę potus obſit, & quid agendum. a v. 388. ad finem uſque.

Varia Foſſilium genera ſub Nympharum nominibus commemorat. ibid.

Tandem varia Fontium, Balneorumque mina promit.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

005662375

Digitized by Google

Restauro del Libro Badia di Cava
Digitized by Google